Od 2385.
8°

Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

~~XV~~. q. 15.

In M. Scto hujus schediasmatis mihi aliquando obvio sequens aderat titulus:

De Commissionis Gelanensis negotio Libri III. per me Casparum Schützium, Secretarium, ea in re praefectum conscripti 1578.

Liber I^mus à pag. 1. ad 36.
II^dus à pag. 37. ad 97.
III^tius à pag. 98. ad finem.

[Schütze, Jakub Rhode]

De Commissionis Gedanensis negotio, Libri tres: Bona fide, ab eo qui præsens Commissioni interfuit, (M. Casp. Schütz, Secretar. Ged. conscripti)

ANNO

M. D. LXXVIII. conscripti.

BIBLIOTHEK ZUR DANZIGER STADT

Ex donatione Gedani Spina 26 Julij Ao 1614.

E.27280

CVm à Michaele Friedeualdo, qui se Regij officij instigatorem intrepidum nominat, accusationem quandam criminalem, vti eam vocat, contra Gedanensem Magistratum in vulgus æditam adolescens ante annos aliquot perlegissem, optaram cum multis honestissimis, & Patriæ nostræ amantissimis viris, vt illi, qui actibus publicis interfuerunt, atque Commissionis vniuersæ negotium præ cæteris cognitum atque perspectum habent, defendendæ, tuendæ bonæ famæ, nominis atq; existimationis causa, quæ optimo cuiq; ipsa vita charior esse debet, veram, puram, simplicem veritatis orationem impuris & falsis Scurræ delationibns opponerent, ne in mentibus aliquorum sinistra aliqua suspicio, de ijs qui Reipub. cum laude præfuerunt, fortè hæreret. Quod cum à viris virtute, fide, & scientia rerum ornatissimis, nec non omni exceptione maioribus præstitum sit, non tamen opus ab ipsis consumatum prælo commissum viderem, hoc me dulcissimæ & laudatissimæ patriæ, quæ primam mihi lucem præbuit, debere agnosco, vt eam ab omni ignominiæ labe vindicem, existimationem eius sartam atq; tectam conseruem, nec quod alij indignitati Scurræ tribuunt, vt eum minime responsione aliqua dignum iudicent, in eo ipse laudem atq; victoriam venetur. Quanquam autem Commissionis Gedanensis negotium ab

ipso authore in tres libros distinctum sit, quorum Primus de initio Commissionis, causa, origine, & Commissariorum exclusione agit. Secundus accusationem Frideualdi, & eiusdem confutationem, & cœtera, quæ in Comitijs Lublinensibus acta sunt, continet. Tertius Commissariorum actiones Gedani institutas earumque seriem, & qua fide, quibusue conditionibus & euentu vnum quodque negotium propositum, actumque sit complectitur. Tamen ex his omnibus hanc vnicam & breuem synopsin beneuolus lector perspiciet, quod cum Priuilegia ciuitatibus à superiori Domino ob bene merita indulta, nullo prætextu, colore, vel fuco infringi, labefactari, vel imminui ipsis possint, aut etiam iure debeant, nonnullos superioribus annis in aulis Regum Poloniæ hanc sibi potestatem non minus falsò, quàm iniquè sumpsisse, vt quod Rex ipse saluis iuribus & priuilegijs in ciuitatibus Prussiæ, quas Maiores vocant, facere non possit, nouo quodam commento aggrediendum cogitarint. Nam non solum ipsi Delegatorum iudicum munus cum summa potestate imponi sibi confidenter institerunt, vt quas vellent constitutiones contrarias iuribus & priuilegijs ciuitatum ferre possint, sed etiam sceleratissimum & impurissimum Delatorem regijs exemptionibus armatum sibi adiunxerunt, vt falsò, arrepto confictoq; læsæ Maiest. crimine innocentissimum quemq; inprimis eos, qui publico munere fungerentur, coram ipsis accusaret,

iudi-

iudicum partes sibi sumerent, & hac larua commenti-
tiorum delictorum iura & priuilegia sanguine Maiorum
parta tollerent, pacatum & tranquillum statum Reipub.
immutarent, ima summis inuerterent, deniq; quidquid
ipsis vel visum vel libitum, licet id ipsum iuribus publicis
aduersari maxime videretur, audacter statuerent. De
horum Commissariorum conatu, atq; ausu nefario, licet
Magistratus cum vniuersa communitate in aula regia
sœpius conquesti sint, quid opis atq; remedij inde repor-
tarint, libri hi posteritatem omnem erudient. Neq; est
quod quispiam nobis succenseat, cur nomina nostra scri-
pto huic non præ fixerimus. Qui enim rem ipsam
cum iniquissimis delationibus, causam cum causa, ra-
tiones cum rationibus fideliter & bona fide contulerit,
facile intelliget, authorem horum librorum omnibus ac-
tibus interfuisse, & negotium Commissionis, vti gestum,
ordine scriptis mandasse, vt prætereamus, quæ commu-
ni nomine plurium in publicum prodeunt, non minus
quàm quæ authoris sui nomen profitentur, anonyma
dici non posse, alioquin scripta omnia publica commu-
nitatum nomine ædita anonyma erunt, quod nemo ra-
tione præditus facile admiserit, cum in ea Repub. quam
amarulentis suis scriptis proscindit, me natum profitear,
& omnes bonos, honestos & cordatos viros ad defen-
dendam Patriam operam suam conferre deceat. Ideoq;
cum plerisq; notum, me istius Reipub. quàm perperam

insectatur, indigenam esse, non semper priuata nostra nomina omnibus scriptis præponenda esse iudicamus, vt esca maledicentiæ aduersarijs subtrahatur, nec illis qui de Repub. bene meriti sunt, odio nominum inuidia aliqua confletur, vel alij impurissimorum hominum maledictis patriam vindicare in posterum deterreantur.

DE

De Commissionis origine, & Commissariorum exclusione: Liber Primus.

NEMO est vel in Poloniæ regno, vel in terris Prussiæ mediocriter saltem rerum peritus, qui ignoret, qua fide, qua integritate, qua constantia ciuitas Gedanensis inde à Primordio accessionis ad inclytum Poloniæ regnum, Sereniſsimis regibus cum debita subiectionis alacritate, operam, opes, & fortunas omnes, domi forisq; tam belli quam pacis tempore non semel re ipsa impigrè præstiterit. Testantur hoc tot egregia diplomata ab ipsis regibus continua successionis serie in perpetuum rei testimonium ædita, nullum est ferè scriptum inter farragines rerum Prussicarum, passim & incertis authoribus quasi per satyram congestas, in quo non eius rei extent amplissima documenta. Ipsi denique scriptores Polonici, qui ex professo res Polonorum memoriæ prodiderunt, quanquam interdum de Prussis parum candide sentiant, Gedanensium tamen virtutem constantiam & fidem erga Reges suos silentio minime prætereunt. Quamobrem & ipsa Gedanensis ciuitas sereniſsimorum regum, qui superiori seculo Rempublicam gesserunt, singularem quandam indulgentiam in concedendis, augendis, & amplificandis priuilegijs, iuribus, libertatibus, beneficijs & ornamentis, & antea semper, & nostra tandem ætate Diui Sigismundi Augusti, qui fuit vltimus Regum ex Magni Iagellionis stirpe longe celeberrimam ac vere Augustam in ijsdem conseruandis benignitatem, ac constantiſsimam

voluntas

voluntatem aliquandiu satis liberaliter experta est. Vnde factum, vt ab eo tempore ciuitatis illius res sub pacifico Regni Poloniæ sceptro fuerint terra mariq́ue tranquillæ & florentes, adeo vt neq; sacratissimos Reges suæ liberalitatis, neq; ciuitatem subiectionis, in hunc vsq; diem pœnituerit. Verum quod in rebus humanis plerunq; fieri solet, vt fortunã inuidia comes fermè consequatur, idem hic etiam vsu venit. Nam & antea variis maleuolorum machinationibus ciuitas vehementer oppugnata fuit: & eo potissimum tempore, de quo nunc loquimur, inuenti sunt plurimi, qui maximam perturbationem, & calamitatem, ac fere non internecionem suis calumnijs, & pernitiosis consilijs toti Reipublicæ conflarent, ac magistratum, & inprimis quosdam in ea dignitate positos viros, neque de regno Poloniæ, neq; Prussiæ terris vnquam male meritos in inuidiam deuocarent, & quæuis eorum facta, consilia, actiones & conatus pro Repub. susceptos male & perperam interpretarentur, demum etiam contra Principis authoritatem, & dignitatem, nihil non actum, gestumq; criminarentur. Quibus delatorum assiduis interpellationibus, & hominum quorundam ad eam rem anxie comporatorum querelis permotus Rex Sigismundus Augustus Legatos & Commissarios suos in Prussiam, ac nominatim in ciuitates Elbingensem & Gedanensem decreuit, cum plenissima ac plane absoluta potestate, de rebus omnibus, siue illæ ciuiles essent, siue criminales, publicæ vel priuatæ, cognoscendi, iudicandi, decernendi, exequendi, statum denique Reipublicæ emendandi, & arbitrio suo constituendi. Atq; ea Rex animo haud malo (neq; enim aliud de Principe suspicari fas est) constituisse videri potest. Etenim ad quem magis Reipub. cura, subditorum salus, & vitiorum emendatio spectat, quam ad summum Principem? si non ijs hominibus negotium datum fuisset, qui vltro sese ingessissent, qui legationem hanc patientissimo Principi cotidianis interpellationibus extorsissent, oppressæ ciuitatis

uitatis exuuias plus quam magnificè promisissent, demum qui facilitate Regis ad summam suam libidinem essent abusuri. Hos legatos, quanquam alioquin per se ciuilis magistratus osores & hostes, tamen velut Principis personam repræsentantes, Senatus populusq; Gedanensis primum debita cum veneratione in ciuitatem accipiendos, ac omni honore afficiendos decreuerunt. Commissionis autem tam largæ, & indefinitæ arbitrium, salvis publicis iuribus, & libertatibus, salua magistratus dignitate, sine summo Reipub. periculo haud quaquam admitti posse censuerunt. Deinde vero cum actionum suarum initium Elbingæ commissarij fecissent, eamq; Rempublicam ad vnius leuissimi hominis calumnias maxime perturbassent, plura etiam & atrociora Gedanensibus minitari viderentur, præsertim quod militum colluuionem conscripsissent, ex quo res omnes ad periculosissimam seditionem spectare videbatur, tandem etiam omnium ordinum consilio, & decreto, ciuitatis aditu penitus sunt excluſi. Hanc exclusionem ipsi vehementer nimis ad animum reuocabant, quod non sibi solum, sed ipsi regi potius insignem & incomparabilem illatam esse conquererentur iniuriam & contumeliam, quam nec tollerare, nec vllo modo defendi posse existimabant. Accesserunt ad eam indignitatem, vt fieri solet, iniuriæ contumeliæq; seruitoribus, & familiaribus eorum inflictæ, quibus omnibus siue illæ factæ, siue fictæ fuerint, crimen lœsæ Maiestatis aduersariorũ iuditio commissum esse proculdubio putabatur, Senatus & populus Gedanensis quoniam res integra ad comitia regni reiecta esset, ad exponendas consilij, factiq; sui rationes, designatos ex toto ciuitatis corpore internuncios ablegant, qui Regis offensam, si quam inde concepisset, primum priuatim emollirent, deinde si res ita ferret, excusationes facti legitimas & probabiles in publicis regni comitijs publico ciuitatis nomine proponerent. Quo minus cum Rege priuatim agi potuerit Commissarij obstiterunt, qui omnes internuncijs aditus omnesque vias ac rationes

diligentissime præcludebant, vt publicè causam dicerent, facultas sæpius permissa, sed de die in diem prorogata fuit. Tandem aliquando cum ad diem constitutum internuncij cum Rege & regni consiliarijs præsto essent, vt legationis suæ munus obirent, ecce præter omnium opinionem prorumpit Michael Frideualdus Elbingensis, hominum quos sol vidit impudentissimus nugator, qui se tum temporis instigatorem officij regij prædicari volebat, & publicam accusationem contra præconsules, consules, syndi. cum, secretarios totum deniq; populum ciuitatis Gedanensis, qui bus neq; dies ad iudicium dicta, nec vlla eam ob rem denunciatio facta esset, nominatim vero contra Georgium Clefeldum præconsulem, & qui tum in vrbe vices regias gerebat, satis confidenter, ne dicam contumelioſe nimis, de scripto otiosus recitat, non solum de cõmissarijs exclusis, sed multis etiam alijs, & ijs quidem atrocissimis rebellionis & perfidiæ criminibus, quæ à nemine vnquam Christiani nominis subdito, aduersus Principẽ suũ cogitata, nedũ suscepta facilè censeri possent. Tulerunt hoc instigatoris factũ (sic n. nunc honestiore quasi vocabulo delatorẽ appellare volunt,) internũcij pro rei indignitate satis acerbe, pro veneratione regiæ Maiestatis patienter atq; nunc maiorẽ quam antea causam habere videbantur, vt consiliũ publicũ, summa necessitate, nullo rebellionis proposita, sed conseruandæ publicæ tranquillitatis studio initũ Regi & consiliarijs probarent, cæterasq; delatoris criminationes, odioſe admodum, & præter veritatẽ accumulatas refutarent. Quam ad rem Maiest. regia legitimũ dicendi spacium clementissime indulgebat. Interim antequam quicquã de rationibus ciuitatis proponeretur (subinde enim ea res & alias comitiorum ocupationes prorogabatur) lepidus instigator famosum quendam libellũ, impuro stylo conscriptum, typis Cracouianis in publicũ edit, quo denuo accusationem illam, quam ore impudentissimo, non tamen sine schedæ, quam inter dicendũ subinde consulebat, subsidio profuderat, multis insuper criminibus maligne affictis,

longe

× Scabinos, Centumviros

longe copiosius repetit, multaq; vel naturæ vitio, vel more suo, intulsa, cõtumelioſa, inepta non rationibus, non inditijs, ſed meris mendatijs ſuffulta, & velut ex triuio, ſeu ſcurrarum conuiuio arrepta, hominũ honeſtorũ auribus indigna, nec vlli niſi maleuolis & ſuis ſimilibus grata, homo leuiſsimus multo quàm antea fecerat impudentius congerit & accumulat. Animaduerſum fuerat in ipſo accuſationis actu, quomodo Epiſcopus cõmiſsionis eius caput, in conſilio ſedens, vnũ poſt alium ad accuſatorẽ miſitaret, & alia atq; alia, quæ dicenda viderentur, ſubijceret. Veruntamen ex eius ore, manu & geſtibus facile poterat intelligi, non omnino ex eius ſententia fuiſſe peroratũ. Itaq; pleriqui exiſtimarunt Fridualdum, vt Epiſcopo ſatis faceret, quod inter dicendum minus calumniarum vel contumeliæ fuerat, eo libello impuro ſupplere voluiſſe. Ac quod modis omnibus deplorandum eſt, impuriſsimus nebulo, ſacroſanctum Regiæ Maieſtatis nomen ſcurrilibus ſuis criminationibus præfixit, quæ tantum abeſt ut ad conſenſum nedum mandatum adhibuerit, vt ſtatim poſt editionem ad internuntiorum Gedanenſium querelas libellum eum publice haberi, vel diſtrahi, ſerio interdixerit. Neque tamen famigerator eo contentus fuit, quod paſsim in Poloniæ regno dignitatem, & exiſtimationem ciuitatis eius eo ſcripto traduxiſſet, ſed apud exteras etiam nationes, & in Anglia remotiſsima ad deformandam Gedanenſium famam, & fidem in commertijs oblædendam, per emiſſarios ſuos cum ſummo non ciuitatis ſolum, ſed totius etiam Poloniæ regni dedecore diffamare conatus eſt. Verum quo iure, vel potius qua fronte, vel audacia tantum facinus aggreſſus fuerit maledicus conuitiator, accuſatis non modo non conuictis, ſed ne quidem auditis intollerabili plane præiuditio, ipſe aliquando viderit. Certe ſi vllius culpæ ciues vel magiſtratus rei fuiſſent, conuictos primum, deinde ſolenni ſententia condemnatos fuiſſe oportuit, antequam rebelles & perfidi publicè indignis omnino

modis proclamarentur, & quidem ab ipso accusatore, qui hoc loco, contra iuris ordinem, sibi iudicis partes sumit, & quod magis est in ea causa, cuius solus princeps cognitionem habet, quo me hercule audaci facinore semetipsum atrocissimo lœsæ Maiestatis crimine constringit. Cœterum ad subuertendam ciuitatis vniuersæ libertatem, non satis visum fuit. Actoribus eius tragediæ magistratum coniunctim accusare, omnes ciuitatis ordines reos peragere, Clefeldum, quem quasi ciuitatis Regulum aut tyrannum ambitiosus instigator cauillabatur, in summum discrimen adducere noua admota est machina expugnandæ vrbi, qua nimirum ij, qui fortiter non minus quàm rectè sentirent, in idem discrimen conijcerentur, sic enim cœteros eorum exemplo territos, Rempublicam facile vel metu vel vi prodituros arbitrabantur. Emittunt igitur Lublino seniorem Præconsulem legatum primarium ciuitatis, quem censebant aliàs omnibus in rebus sibi morigerum, quasi senectuti eius parcentes, & ipsum alioquin hoc moræ tœdio disiderantem, vbi domum is redijt, cœteri præconsules. Constantinus Ferberus Ioannes Proitus, & senator Albertus Gisius ad dicendam causam euocantur, itidem me hercule, vt in apologo lupi canes contradictorios ad ouibus abstrahebant, vbi in aulam venerant, repetita est accusatio, ijsdē fermè, vt prius verbis & criminationibus. Exceptionis à reis conuentis propositæ non maius, quàm cœteræ ciuitatis pondus obtinuerunt, Ac ibi tum quanquam nihil accusator haberet, quod in citatos iure detorquerī posset, aperte tamē priuatorum causa cœpit à publica disiungi. Testes de hinc producti, quasi probationibus res egeret, homines nequissimi, Commissariorum familiares, domestici, serui, mancipia, gnathones, assentatores qui id testarentut, quod nunquam viderant, iurarent se vidisse, quod in rerum natura nunquam fuerat, Accusati cum animaduerterent se in priuatis criminibus ad innocentiam suam conseruandam nihil æqui impetrare posse (nam publicæ causæ ne vi-

x nationibus

ne vitam quidem suam deesse volebant, cum viderent eosdem Commissarios esse accusatores suos, testes & iudices in consilio regio sententiam cum cæteris dicentes, Regem ipsum aduersariorum vento circũferri, nec satis quod vellet per se expedire, præsertim quod omnis actio cum ipso rege, tanquam Commissariorum persona suscipienda videretur (omnino enim graue est subditos cum Domino litem capitalem exercere) de iure suo ob reuerentiam Regis nonnihil decedentes, quod tum ~~oportuit~~ oportuit, supplices facti, totam eam actionem, quæ priuatos concerneret, seq; ipsos clementiæ & benignitati regiæ commiserunt. Decretum igitur in consilio, vt Commissarij denuo Gedanum mitterentur, earum rerum gratia, à quibus conficiendis antea erant excluſi. Illi interim qui priuatam accusationem passi fuerant in Polonia captiui dètinerentur. Reuersis in vrbem Commissarijs longum esset recensere, quibus artibus, quibus terriculamentis, quibus præstigijs Senatum & Populum tanquam acephalon tentarint, vexarint perturbarint. Finis omnium actionum is fuit, vt ærario vrbis aliquantam prouentuum partem defalcarent, & insuper pecuniæ nonnihil emungerent: actum est varijs disceptationibus, tandem quod aliter res omnium molestissima expediri non posse videretur, semissem portorij maritimi adaucti, & centena millia florenorum certis vicissim conditionibus interpositis, ordines ciuitatis regi promiserunt. Vbi hac de re cautum fuit, & constitutiones nonnullæ conscriptæ, & causæ quædam priuatæ cognitæ, iam commissio penitus expirauerat, iam amplius oppressorum quærelæ nullæ, nulli amplius errores publici, nihil omnino, quod in vniuersa Republica emendationem desideraret, sarta tecta iam omnia.

Ex quibus quanquam breuiter & perfunctorie recensitis, luce meridiana clarius patet, hoc vnum illis fermè fuisse propositum, vt libertatem & prouentus ciuitatis subuerterent, ærarium exhaurirent, Rempublicam licet prauis moribus imbutam nec

authoritate regia sanarent, nec ciuium & contuberniorum quæ-
relas alicuius pensi facerent, dummodo eius quod tanto conatu
petiuerant, solam spem vel vmbram potius assequerentur. Enim-
uero populus Gedanensis cum ex subsequentibus actionibus sua
se fiducia delusum animaduerterent, conditiones ex æquo propo-
sitas non negligi solum, sed etiã quod repromissum fuerat ad in-
fitias relegari, tum relationẽ eorum, quæ vtrimq; acta essent, pla-
ne diuerso sensu institutam, & cum ignominia ciuitatis magis,
quàm eius commodo coniunctam fuisse: conuentionem autem
ipsam contra mentem contrahentium in nequiorẽ partem detor-
queri, cum in commissarijs priuatim fides non esset, ad publicam
gentium pactionem refugiendum, & ne se quidẽ ad ea præstanda
teneri arbitrabantur, quæ mutua obligatione fuissent vtrinq; con-
firmata, nec id sibi vitio recte dari posse contendebat, quandoqui-
dem Commissarij, quos præsenti præstatione partes suas implere
decebat, non suam solum, quæ per se non magni momenti mul-
tis videbatur, pollicitationem negligerẽt, sed Regiæ Maiest. etiam
fidem publicam, quam Gedanenses secuti fuerant, palàm elude-
rent. Tenuit ea contentio, quo vsq; Sigismundus Augustus, cuius
authoritate Commissariorum actiones nitebantur, fato concesit.
Post cuius mortem quanquam Gedanenses existimarent conditio-
nes à parte regis defuncti defeciisse, Commissarij tamen & alij
non defuerunt, qui stauerent à Gedanensibus omnino quod re-
ceperant exigendum, quantumuis hoc pacto magnificarum tot
promissionum fructu penitus defrauderentur. Atque hæc con-
trouersia modernum regem quoque susceptit, & in ea discutien-
da nunc etiam vehementer vtrimque laboratur. Hæc istius
de qua loquimur, infœliciſsimæ commissionis breuis est historia,
quam deinceps in partibus suis ordine, quo opus fuerit, & res
ipsæ postulauerint latius prosequemur.

Ac initio narrationis nostræ potissimum exquirendæ viden-
tur rationes, quibus permoti Gedanenses legatos & Commissarios

regis

regis sui ciuitatis aditu prohibendos consuerint: magna profecto res, & multis seculis inaudita, quæq; ad læsæ Maiestais crimen, & animaduersionem exempli maximi haud dubiè pertineret, nisi tantæ, tamq; graues interuenissent causæ, quibus vrgentibus etiam ipsa regia Mæiestas suo iure nonnihil cessura fuisse videretur. Alter vtrum enim in eo negotio Gedanensibus tacite proponebatur, vt aut colore fidei, subiectionis & reuerentiæ principi suo debitæ, Rempub. vniuersam seq;, fortunasq; suas libidini Commissariorum subijcerent: aut repulso illorum imperio ciuitati libertatem Regi ciuitatem pacatam conseruarent. Quorum tamen vtrumq; non sine periculo & offensione fuerat futurum. Placuit ex duobus malis minimum, vti tum ipsis videbatur, eligendum, Tollerabilius aũ apparebat offensionẽ principis quoquo modo læsi saltem ad tempus sustinere, quã Rempublicam in perpetuum amittere. Mouebat eos in primis ipsorum Commissariorum iam dudum cognitus erga ciuitatẽ animus, cõsilia perspecta, odia & simultates haud obscuræ. Princeps legationis erat Episcopus Vladislauiensis Stanislaus Carncouius, non ità pridem ex Referendario ad infulæ honorem euectus, eò Gedanensibus propter religionis diuersitatem infestior, quo magis existimabat officio suo nouo conuenire, nouum etiam hominem decere, sectam Lutheranicam quocunque oppressionis genere truculentè persequi, vt illorum hominum plerunque mos est, qui ex loco generis humillimo in altum asperiores assurgunt. Eo cum esset animo præditus, haud flocci videbatur facturus, si in ea Republica summa iuris per fas & nefas miscerentur, libertas omnis aufferretur, modo religionis sanæ suis consilijs oppressæ, & hæreseos papisticæ per vim vel dolum restitutæ triumphum reportaret. Alter erat Ioannes Coska tum Castellanus Gedanensis (ea dignitas nudo saltem titulo non imperio ciuitatis constat) qui cum huic vrbi re vera potius dominari, quàm eius titulo decorari vellet, iamdudum eius

gene-

eius generis consilia coxerat, quibus maioris dignitatis accessionem existimabat, sibi posse comparari. Enimuero quasi hæreditarium illud odium à parente susceperat, vt quidquid in odium, inuidiam & pernitiem eius ciuitatis excogitari posset, omni ope, cura, diligentia & labore, noctu dieq; manibus pedibus effectum dare conaretur. Qua in re si pater egregie suas partes egit, filius certe non degener, ipsum etiam patrem vicisse satis constat, & sæpius quam vellent Gedanenses re ipsa sunt experti. Vtriq; horum priuatæ simultates intercedebant cum magistratus primoribus, quorum potentiam, superbiam & magnificentiam, vti detestabant, amplius sibi ferendam haud æquum censebant. Impellebantur autem magis magisq; ad consilia sua confestim expedienda ab occulto quodam sydere monasterij Oliuensis, erat is Abbas Caspar Ietzkouius homo vti vafer, apostata & prauorum consiliorum haud futilis auctor, qui ciuitatem vicinam florere, & publica quiete, & tranquilla pace frui minime sibi tutum existimabat, Senatus certe Gedanensis nihil vnquam prætermisit, quod non solum ad eius Abbatis dignitatem ornandam, augendam, atque amplificandam, verum etiam periculosissimis eius temporibus salutem tuendam & conseruandampertineret, Quibus rebus id se consequi posse rebantur, vt si minus ille gratiam rependeret, memoriam saltem beneficiorum retineret, aut minimum ab insidijs & maleficijs aduersus Rempublicam eam se temperaret. Promiserat ille quidem sæpius verbis perquam magnificis, se beneficijs semper obnoxium, amicum perpetuum, & vicinum haud inutilem futurum, sed re ipsa nemo illo ingratior, nemo bene de se meritis, infensior, nemo qui plures patronis suis molestias exhibuisset, extitit vnquam. Nulla fuit superioribus annis perturbatio, quam in Rempub. ille non induxerit, nulla machinatio, quam ille non excogitauerit, nulla inter ciues discordia, cuius ille serendæ non auctor fuerit, nulla fermè calamitas publica vel priuata, quam ille non importauerit certè salutem

auxerit, nullus deniq; ſceleſtus, infamis, ſeditioſus, fur, latro, adulter, inceſtuoſus ſi modo is quidpiam contra Senatum moliri vellet, qui non eius conſilio, auxilio, conſortio atq; conuictu vteretur, nullus noſtra memoria ciuis extitit, qui fidem & obedientiam detrectaſſet, quin patrocinium in eius præſidio ſibi certiſsime repoſitum exiſtimauerit. Is deniq; ſolus eſt qui contubernia lanionum & Braſseatorum, quæ ſunt Gedani maxima contra Senatum prauis ſuis inſtitutis concitauit, ad ſubuertendam ciuitaris diſciplinam, & concordiam ordinnm diſſoluendam: nimirum hæc eiuſmodi conditionis homini conueniunt, non monaſterio proſpicere, non orationes exercere, non in choro ſed in foro magis aſsiduum eſſe, ſed alienam rempub. curare, aulam peruolitare, Ciuitates moderari, ſeditioſis patrocinium præſtare, Erant igitur hi, quos diximus, eius Commiſsionis architecti, & totius quaſi fabulæ actores. Sed ne ſoli id ipſum agere viderentur, adiunxerunt ſibi vnum & alterum ſenatorij nominis, & eiuſdem officij delegatos, Ioannem Siracouium Caliſienſem, Simonem Schubbium Inouulodenſem, & Georgium Oſtrouitium Caſtellanos, de quibus, vt nihil ſiniſtri ſuſpicari velimus, tales tamen erant, qui Epiſcopi auctoritatem, quocunq; duceret ſequi conſtituiſſent. Omnibus certe communiter hoc vnum interioribus animi ſenſibus erat perſuaſum quaſi ad nimiam potentiam, & opes nimias Gedanenſes excreſcerent, quaſi Regi pro tantis facultatibus parum penderent, quaſi non obſcure præ ſe ferrent, ſe Regi non etiam regno fidem debere, quo rebus humanis defuncto ad alium Dominum tranſituros: Aequum igitur illis videbatur ciuitati frenum inijci, maius imperium, maiorem auctoritatem Principis in ciuitate conſtitui, ciues lautiores ad viliorem ſtipem adigi, prouentus publicos à regis officialibus adminiſtrari, eorum qui in magiſtratu ſederent, dominatum abrogari, Proceribus etiam regni nonnullum ibi imperium eſſe oportere, denique ciuitatem adempto maris dominio, & negotiationum vſu ad Po-

lonos translato, ad eam conditionem qua, sunt vici Polonici, redigi posse. His hominibus Rempublicam eam, quam ipsi vastare cupiebant committi, & quasi in deditionem dari, quis vnquam homo prudens, & circumspectus, patriæ & libertatum amans, etiam posthabito vitæ & fortunarum omnium periculo censuisset? An non de his Legatis idem fermè dicere fuisset operæ pretium, si modo res ex illorum sententia processisset, quod apud Liuium 5. Decad. 3. Chalcidenses de Romanorum Ducibus conqueruntur: Nihil sibi præter linguam ad deplorandas patriæ calamitates reliquum esse, scire se tutius fuisse claudere portas, quàm in vrbem admittere, illos, qui exclusissent eos, incolumes esse, apud se qui eos admisissent, templa ornamentis spoliata, compilataq; sacrilegijs, libera corpora in seruitutem abrepta, fortunas sociorum direptas, & quæ sequuntur cœtera.

lib. 43. cap. 7.

Secundo loco non minus etiam Gedanenses mouebat ipsius commissionis forma, quæ præter delegationis receptum morem nimis larga nullis circumscripta finibus, haud satis legitima, nec ex sufficienti Principis informatione edita videbatur, præsertim quod in apertam communis priuilegij terrarum Prussiæ derogationem vergeret, & non modo inconsultis, sed plane etiam inscijs harum terrarum consiliarijs, sine quorum scitu & consilio in eiusmodi grauibus & notabilibus causis nihil tractari, terminari, vel definiri debet, contra disertum eius priuilegij publici præscriptum prodijsset. Cumq; perpetua consuetudo, legum optima scilicet interpres, & actionum omnium, quæ in vita suscipiuntur exemplum certissimum, non potuit non huius commissionis institutum ab omnibus in suspitionem vocari, quod contra communem, & moribus Prussiæ acceptam consuetudinem, contraque veterum commissionum formam, nouo quodam & inaudito exemplo fuisset inuulgata, nec ordinario tantum magistratui sed omnibus simul contubernijs, sociatibus

tatibus, vniuersæq; communitati inscripta in maximum certe & formidabile magistratus præiudicium, eo quod Commissarijs plena facultas dabatur, non solum inquirendi, & iudicandi verum etiam exequendi, & quod multo magis est, ad executionem rerum iudicatarum vniuersæ plebis opem et assistentiam vsurpandi. Nec profecto quisquam ignorat, & non pauca magnarum præsertim vrbium exempla manifeste demonstrant, in quas calamitates, & Rerumpublicarum euersiones furor & licentia plebis, si semel commota fuerit, erumpere soleat.

Enimuero negari quidem non potest, à Diuis Poloniæ regibus etiam ante missos esse in Prussiam ac in ciuitatem Gedanensem Commissarios, seu Iudices delegatos, suborta aliqua dissensione publica, vel vitio quopiam in Rempublicam illapso, vel ob alias forte imminentes calamitates, quibus Principem consulere oporteret. Nunquam vero missi sunt alia cum potestate, quàm inquirendi causa & ad Principem omnia referendi, interdum etiam transigendi gratia: adhibitis insuper semper ad eas actiones terrarum Prussiæ consiliarijs, ne quid contra patrias leges & libertates Prussicas statueretur. Sin ampliori facultate quidam subnixi Prussiam aliquando accesserint, iurisdictionem eorum agnitam non fuisse, interdum etiam exclusos exemplis potest comprobari.

Porro nec ob eam quidem causam huiusmodi Commissio facile admitti potuit, quod grauatis Delegatorum iudicum decretis nulla ad Principem prouocandi libertas relinquebatur, exemplo certe pernitioso, & vix vsquam gentium comprobato. Præcisam autem appellationem omnibus fuisse, inde liquido constat, quod ipsa rerum iudicatarum executio, non ipsis solum Commissarijs, sed etiam vniuersæ plebi in eam rem conuocandæ permittebatur: &

verum iudicatarum

manifesti quidem iuris est demandata per Principem executione, locum appellationi nullum esse solere.

Tandem cum eius commissionis amplissima potestas non obscure ad legitimi magistratus, legum atq; consuetudinum mutationem spectaret, & publicæ tranquillitati perturbationem non leuem allatura videretur, cum quod ad status publici, & administrationis commutationem, quod ius soli principi competit, Commissariorum actiones palam dirigerentur, tum quod non solum in ciuilibus, sed etiam in criminalibus, & quod in Poloniæ regno plane in auditum est, in causa lœsæ Maiest. cõtra personas publicas, in magistratu, & præsertim in officio regio positas iudicandi, atq; adeo in omnes vitæ necisq; potestatem vsurpare vellent, neglecto fori ordine, contra pacta pacis perpetuæ, contra iura & consuetudines publicas, & contra morem vbiq; gentium receptum & comprobatum.

Quapropter cum certum esset, ea quæ à priuilegijs, iuribus & constitutionibus pactis, moribus, & perpetua consuetudine tam insigniter exorbitarent, iurisdictionem legitime constitutam habere non posse constanter iudicatum fuit ab omnibus ciuitatis Gedanensis ordinibus, deberi hoc optimi Principis gloriæ & existimationi regiæ, quæ potissimum in obseruatione legum & iurium consistit, quaq; fidelibus subditis nihil debet esset antiquius, deberi hoc patriæ, rei ac libertati publicæ, deberi iuribus, legibus, moribus patrijs, vt eam Commissariorum, qui sese vltro ingessissent, tam exorbitantem iurisdictionem minime agnoscerent, in nullam profecto iniuriam illorum, sed & Regiæ sublimitatis, & iuris publici tuendi causa, ac vt se, suaq; omnia sui Principis æquissimo potius iudicio, quàm cuiusuis alterius cupiditati subiicerent, Præsertim cum illud eam præsumptuosum Commissionis imperium, cum pientissimi Regis mente, ac voluntate, sacris legibus conformi nequaquam congrueret, tum propter responsum

sponsum internuncijs Gedanensibus paulo ante datum, quo diuersam animi sui sententiam benignissimus princeps liquido significauerat, & quod exemplo laudatissimorum Imperatorum fœpissime respondisset, ~~occulta~~ mandata vel rescripta, quæ cum iuribus & priuilegijs, publicis libertatibus & inueteratis consuetudinibus pugnarent, esse admittenda. x nulla

Atq; his maxime rationibus Gedanenses existimabant Commissariorum iurisdictionem plane sibi periculosam, iure posse declinari. Nihil tum vero minus in animo cuiusq; fuit, quam vt vrbe illi excluderentur, cum iam pridem Ordines & Senatus decreuissent, eos honorificè excipiendos, ac hospitia singulis opportuna designassent, extructa etiam in vsum Episcopi culina in foro, publico sumptu, rebus necessarijs prospectis: delecti etiam ex senatu, qui commissarios aduentantes publicè debito cum honore exciperent. Studiaq; ciuium oblatis munusculis testarentur. Enimuero per ipsos Commissarios stetit, quo minus ad diem, quem per literas indixerat, (erat is duodecimus mensis Octobris anni Sexagesimi Octaui) vrbem accederent, sed eodem pene momento, quo Gedanum venire constituerant Elbingam ingrederentur. Quæ quidem itinerum tam subita commutatio non potuit non aliquam male suspicandi causam initio præbere.

Deinde statim increbuerunt actionum exordia per Commissarios Elbingæ susceptarum, quales istæ fuerunt per Frideualdum seditionis tubam, ominosæ voces de bonis quæ ad commandatoriam Elbingensem spectarent, fisco Regio deinceps applicandis, de æquiori magistratu substituendo, de nouis legibus in ciuitatem introducendis, adeo arroganter emissæ, vt semetipsum haud dubiè nouum consulem designare videretur: Qua ratione pleriq; ciues, quibus actiones hæ minime placebant, nec ijs interesse volebant, ostiatim per præconem euocati, in templum extra-

ti per eundem Frideualdum singulatim examinati, coacti fuerint de rebus ignotis & ad se minime pertinentibus, contra Magistratum testimonium dicere, si qui recusassent, non contumelijs solũ excepti, sed multa etiam facultatum & vitæ in sententiam pertracti: Quomodo mox Commissarij Frideualdo iusserint nomine cõmunitatis Elbingensis & sub colore specialis mandati de statu Reipub. deq; vitijs emendandis ad se referre, quibus de rebus ipsa communitas non modo mandati nihil vnquam dederat, sed etiam cum conueniendi facultatem, ad deliberandum intro se de rebus necessarijs, actum ex cõmuni consilio ad Cõmissarios referendis, ciues sibi concedi petiuissent, id adeo negatum fuit, vt quoties quisq; libere de Repub. dicere voluisset minis & execrationibus additis, statim iussus sit tacere, & cũ solo Instigatore, Frideualdo consilia conferre: Quomodo item huic instigatori suo Cõmissarij permisissent, non modo optimũ quemq; ex ciuibus, sed etiã magistratibus publice in crimen vocare, & capitalem actionẽ intendere, non sine insigni & atrocissima ciuitatis vniuersæ contumelia. Neq; ille suo officio deerat, accusat priuatim vnũ & alterum, grauibus sane verbis, & quasi de maximis iniurijs, quod alter ex illis anno superiori cuidam suæ farinæ homini seditioso, & ordine consulari iam moto contumeliam sibi faciendi malã pugno verberasset, quod gladio cinctus templũ intrasset, & accusationi suæ contra magistratũ instituendæ subscribere noluisset, alter vero aduersariũ à quo aduocatus fuerat, stricto pugione repulisset: quas ob res vtrumq; in custodiã dari, & ex vinculis causam dicere postulauit. Hæ nimirũ erant graues ciuiũ & subditorum querelæ, quibus permota Regia Maiest. ad amplissimã eam cõmissionem delegandã descendisset, Verum ne nihil in tantis criminibus actũ videretur, Cõmissarij vtrumq; accusatũ donec vlterius cognoscerent in custodiam mittunt, lenitatis nimirum opinionem præ se ferentes, vt ad maiora progrediendi expeditior esset auctoritas.

Hoc artis accusatoriæ iacto fundamento, Frideualdus vniuersum

uersum Senatum, & nominatim nonnullos, de varijs, sed pene ridiculis criminibus, quæ omnia nihilominus ad lœsæ maiestatis noxam magnifice referebantur, accusat, quod scilicet frumentum in villis ciuitatis coemerent, & pro libitu pistoribus venderent, maximam vero partem nauibus exportarent in ciuium præiudicium: quod cariores pisces & carnes redderent ad augendo pratorum & aquarum censu, quod coria coemendo & exportando calciamentorum caritatem facerent, quod cereuisia in ciuitate Elbingensi cocta, licet eiusdem bonitatis, maioris tamen esset precij, quam vel in ducatu vel Episcopatu vicinis: quod ciuitatis vallum vetus diruissent & nouum extruxissent: quod calcem & lateres nimio pretio ciuibus venderent, quod tabernas in detrimentū ciuium exercerent: quod bona publica tam Ecclesiastica quam ciuil a sibi ascriberent: quod nimium vsurparent in ciues imperium si qui forte tecto capite consulem præteriuissent: quod saltare iussissent ciuem in conuiuio, qui matrem lugebat, quod pecora ciuium iniustè caperent, & sepes destruerent: quod adolescentem furem, neglecta intercessione collegij VVarmicensis, in crucem egissent: quod ciues seditiosos saluis conductibus munitos coercuissent: quod in consilio communitatis iuris senibus iuuenes substituissent, doctis imperitos: quod in ærario publico non tantum pecuniæ fuisset, vt Maiestati Regiæ decem millia thalerorum mutuo dare possent: quod ipsimet non semel varijs criminibus accusati, nondum hactenus se perpurgassent: quod materiam ad extruendas naues expublicis syluis excidissent, quod præfectum militum in ciuitatis vsum conduxissent, eique agri publici partem meliorationis gratia locassent: quod multos innoxios homines necarent & torturæ subijcerent: quod ipsum Frideualdum tumultuantem proscripsissent: quod pro componendis controuersijs inter ipsos & Frideualdum Ducem Borussiæ arbitrum sumpsissent: quod Regiæ Maiest. mandata in extrahendis actis causæ criminalis contempsissent, & appellationem denegassent.

Hæc

Hæc summa fuit accusationis, nullis iudicijs, nullis testibus, nullo probabili argumento, confirmatæ, sed sola Frideualdi assueratione, & violenta ciuium subscriptione comprobatæ: ad quam Accusati ita responderunt, vt si æqui fuissent iudices, nulli omnino quicquã ab ijs calumnijs merito fuerit pertimescendũ, quibus de rebus latius disserere res nec huius est loci, nec instituti nostri: Quæ vero consecuta fuerint, operæ precium est paucis subijcere. Commissarij tot criminibus in medium adductis, cæteris omnibus neglectis, quod duo præconsules Nicolaus Shulz & Michael Bretschneider (erant enim hi publicæ libertatis præ cæteris assertores constantissimi) præfectum militum conduxissent, quodq; transactionis cum Frideualdo coram arbitro Duce Prussiæ auctores extitissent, eas vero enormes læsæ Maiest. notas esse pronunciant, & vtrumq; præconsulem, etsi minime conuictos, reclamante & deprecante Senatu, ante legitimã causæ cognitionem ab officio remouent, & quia de eorum honore, fama, bonis, vita deniq; ageretur, pro sententia definitiua ad Maiest. Regiam in peranguſto quatuordecim dierũ spacio accusatos remittunt, vt relictis rebus & fortunis omnibus, vxore, liberis & penatibus, personaliter iudicio capitali se sisterent: retentis per vim principalibus eorum documentis, quibus ad tuendam innocentiam suam apud Regem ipsum fœlicius fortasis, quam in eorum iudicio vti potuissent.

Præterea duo & triginta ciues honestiores, ex statuto Diui Sigismundi communitatem populi repræsentantes, absq; vlla causæ cognitione, nullo crimine irretitos, non auditos, ne dum conuictos loco mouent, & alios non æquè fortasis idoneos, sed quos institutis suis existimarent magis subseruituros, ad arbitrium ambitiosi instigatoris substituunt.

Accessit postea mutatio constitutionum publicarum, quas olim Diuus Sigismundus Elbingensibus maturo consilio præscri-

pserat,

pferat, nouæq; leges perperam ſubrogatæ, in quibus dictos duos præconſules pendente adhuc regia cognitione, quaſi iam condemnatos contumelioſiſsime perſtringunt, ad perpetuam nominis & famæ denigrationem atq; ignominiam. Vt alia multa taceantur hoc loco, in augendo contra morem numero magiſtratus, in exigendis contra ordinem rationibus publicis, quibus etiam perpetui ciuitatis hoſtes & obtrectatores ad ſupputandum calculum adhibebantur, admiſſa & contra priuatos per inſtigatorem callide & calumnioſe attentata, vt nihil propè ad ſugillandam bonorum virorum famam atq; exiſtimationem furcifer reliquum fecerit. Fretus haud dubie ſaluiconductus literis quas in ciuilibus & criminalibus cauſis ea immunitate, ſurreptiuè profecto magis, quam ex certa principis ſcientia impetrauerat, vt contra conſtitutiones publicas, ne quidem in facinore delicti recentis vllius alterius cognitioni, quam ſolius ipſius Regiæ Maieſtatis ſubijceretur.

Ac vt nihil omnino prætermitteret, quodcumq; in magiſtratus inuidiam & patriæ calamitatem ingratus Cuculus excogitare, vel mouere poſſet, nomine VVarmienſis Cardinalis Hoſij, qui cum Senatu iamdudum litem habebat, de bonis, quæ ad Eccleſiam pertinere contendebat, Decretum contumatiæ contra ciuitatem Elbingenſem, olim latum, profert, ac eius executionem à Commiſſarijs poſtulat. Elbingenſes quanquàm decretum illud à Rege certis rationibus ſuſpenſum oſtenderent, & cauſam ipſam in relatione pendentem, nec adhuc Regia cognitione terminatam, rei iudicatæ executionem haud quaquam admittere iure dicerent, Commiſſarij tamen neſcio quod Eccleſiaſticarum rerum beneficium obiter adducẽtes, iubent, vt intra quatuordecim dies Senatus cum Cardinale bona gratia tranſigat, alioquin ſe deinceps executioni non defuturos.

Quin imo vt penitus malitioſum ingenium ſuum calumniator etiam aduerſus eos detegeret, quorum auxilio & conſilio in

causa capitis seruatus erat, edicto Commissariorum præconsulem Gedanensem, & tum Regis vices gerentem Georgium Clefeldum Gedano Elbingam euocat eo colore, quod is, in istius Nebulonis causa, de iure priuatim consultus ex responso suo crimen læsæ Maiest. commisisset. Cuius rei defensio cum alio loco proponenda sit, nunc saltem iuris ordinem, absente Clefeldo habitum, perspiciamus, haud vulgaris sane iurisdictionis exemplum. Vbi dies venit, procedit lepidus Instigator tanquam in foro Rei conuenti causam ageret, narret actionem olim sibi fuisse criminalem cum quodam Bognero, eamq; ob rem se iurisconsilium à Clefeldo, quem tum loco parentis colebat, petiuisse, illum sibi rectè quidem cōsuluisse, sed in eo responso multa contineri, quæ Regiam Maiest. vehementer lædant, Et consilij literas postulat à Senatu Elbingensi, penes quem bona fide asseruabātur, produci. Literis in medium allatis, & recitatis, illud in Principem commissum asseuerat, quod ibi scriptum erat, semper hoc moris in Prussia obseruatum, & inde vltra hominum memoriam receptum fuisse, ne in capitalibus causis appellatio condemnato concederetur.

Pergit itaq; calumniator, citatum esse Gedano, Clefeldum ad defensionem suam, si quam in crimine tam atroci reperire valeret demonstrandam: quoniam autem ad dicendam causam non adsit, petit eum publicè, per præconem proclamari. Excipit Instigatorem, Castellanus Gedanensis, & præconsulem Elbingensem interrogat, quem ipsi morem obseruare consueuerint, cum criminaliter quis accusatus non compareat? Præoccupat responsionem Præconsulis Instigator & quoniam, inquit, eiusmodi processus in hac ciuitate nunquàm antea fuit habitus (vere quidem) nulla nunc in ea cōm informatio fieri potest, sed res integra regiorum Commissariorum arbitrio relinquenda est. Ibi tum Episcopus egregius talium causarum æstimator &

cor, & iudex non inscitus, grauiter admodum interloquitur: absentem in huius generis criminibus pro confesso non haberi, sed iuris ordinem non aliter instituendum, atque si accusatus coram adesset, quapropter opus esse probatione, num istæ literæ sint à Clefeldo scriptæ consignatæque. Vocat Instigator Nicolaum Shultzium præconsulem, quo detrectante testimonium, dicunt alij duo ex ordine consulari notatione manus & sigillū in ijs literis esse Clefeldi. Decernunt ergo Commissarij, cum interim intelligerent Clefeldi procuratorem declinandæ iurisdictionis causa adesse, quemadmodum summo cum dolore audiant subditos Regiæ Maiestatis ea aduersus eandem committere, quæ minime illorum fidei conueniant, ita se Clefeldi absentiam ob negotia publica in meliorem partem interpretari, & diē defensionis deducendæ in quatuor hebdomadas prorogare. Gedani procul dubio constituerant eam se causam cognituros, & ab ea perturbationum omnium initia desumpturos. Egregium certe iudicium, & à iure non minus alienum, quo illud decreuisse, vel præiudicasse potius videntur, idem plane esse literas ab aliquo docere scriptas, & crimen admissum eadem opera demonstrare.

Quæ quidem Commissariorum actiones, cum neque moribus, neque legibus, aut iuribus Prussiæ, neque responsis Regiæ Maiestatis vlla ratione congruerent, & non humanis modo, sed diuinis etiam rebus insignem mutationem, & præsentissimum periculum allaturæ viderentur, nemo non in eos alieniori cœpit esse animo, adeo vt quos prius tanquam Regios Legatos & Commissarios, ac summos Reipublicæ patronos & amicos debito cum veneratione studio Gedanenses excipiendos decreuissent, eos his actionibus non modo suspectos, sed pene inimicos habere cogerentur. Etenim quis ex rebus eorum gestis non videt Commissarios istos ad cursum priuilegio-

uilegiorum, pactorum, pacis perpetuæ, & iudiciorum solennium, ordinario magistratu per ipsum Principem consilio consensuq; publico demandatorum, apertam violationem magis, quam vllam Reipub. vtilitatem vel emendationem, ne dum publicam tranquillitatem stabilitatemq; spectasse? Quis audiuit illos vnquàm delegatos, cum per principem salua esset Reis conuentis appellatio, neglecta authoritate Regia, posthabito iuris ordine, proculcatis legibus publicis, in Regios subditos sibi vitæ necisq; potestatem arrogasse, & in personas honestè magistratu fungentes, quæ membra sunt publici Regijq; consilij, pendente Principis cognitione publicè per ignominiam animaduertisse? Etenim si nemo sine legitimæ causæ cognitione, rei suæ possessione priuandus est, an præconsules, cum causa ad notionem Principis remissa esset, interim loco moueri, & honore priuari iure potuerint, quis non intelligit? Certe si toties aut remouendi sint suo loco magistratus, aut afficiendi supplicio, quoties officio suo non ad amussim satisfaciunt, in magnis præsertim & populosis ciuitatibus, & irrepente aliquo vitio vel errore, si statim Reipub. vetus forma, posthabitis iuribus & moribus publicis, immutanda vel euertenda sit, quis tandem exitus publicæ administrationis expectandus, nemo non mediocriter saltem prudens, luce meridiana clarius perspicit, præsertim cum nihil tam sanctum, quod non humana aliquando violet fragilitas. Quis vnquam Diuorum Poloniæ Regum etiam in perturbatissimo rerum omnium statu, triginta duos honestos, & innocentes ciues populi totius personam obeuntes, nec auditos nec conuictos, cum euidenti non ipsorum modo, sed posterorum etiam ignominia, loco & ordine priuauit? Enimuero quod maiori admiratione dignum, & patrum nostrorum memoria plane in auditum fuit, iidem commissarij non contenti tam imperioso iurisdictionis per Elbingense territorium exercitio, prætextu lœsæ Maiest. summos in Prussia magistratus, Regiam vicem honorificè & summa cum laude gerentes,

viros

viros, neq; de principe suo, neq; de cõmuni patria nunquãm male meritos, ne dum vlla praua suspitione grauatos, nulla præcedente inquisitione, ad nudam & simplicem Instigatoris, hominis plane suspecti, temerariã delationem, extra forum competens, euocare nõ erubuerunt. Constat non modo nullos vnquam ex laudatissimis Regni consiliarijs, sed ne ipsos quidem sacratissimos Reges vllam sibi auctoritatem, condendi nouas leges in constitutionum antecessorum suorum derogationem, absq; consiliariorum, & ordinum omnium, quorum interesset, præsentia, & consensu, quod hi Commissarij inconsultis, vel potius contemptis terrarum Prussiæ consiliarijs, cũ Regiæ ciuitati, nouas leges suo arbitratu, satis pro imperio præscriberent, facere non sunt veriti, magno certe & inquisito Gedanensium, quibus haud aliud, sed aliquid etiam insolentius expectandum erat, cum præiuditio.

Hanc animorum alienationem vehementissime paulo post auxit mutandæ religionis suspitio, non sine incredibili omnium vtriusque sexus hominum tam exterorum, quam ciuium exacerbatione. Quoniam nomine Vladislauiensis Episcopi vrbem, templumque intra biduum ingressuri, per parochum primarij templi Diui virginis eiusdem curatoribus seu præfectis iniunctum fuerat, vt aram maximam ilico adornarent, sacella templaque omnia purgarent ac instruerent, cœteraq; sacrorum ornamenta in Episcopi vsum expedirent. Accedebat huc, quod non ita pridem sub Episcopi aduentum ex vicino opido Diesouiensi pastor propter Augustanæ religionis professionem eiectus esset, atque idem etiam in Pucensi oppido tentaretur. Quin etiam duo Abbates, Oliuensis, & Pelplinensis, ideo Gedanum euocati fuerunt, vt Episcopum, summum templum solenniter ingredientem, comitarentur, vt sua sacra facienti ministrarent. Quamobrem omnes de statu Ecclesiarum, & contionatorum verbi diuini per vniuersam ciuitatem cum magna animorum indignatione ve-

hementer dubitare, atq; ita passim sentire cœperunt: Religionis rem magis agi, quam politicam aliquam emendationem quæri: Atque hæc certè non minima fuit causa, qua Gedanenses adducti, ea malebant sequi consilia quæ Reipub. commodo & tranquillitati conuenientia, & ad intercludendas varias seditionum vias, quæ in populosis ciuitatibus religionis præsertim obtentu facilius exoriri, quam sopiri solent, oportuna essent, quam quæ Commissarialibus conatibus deseruirent, cum præsentissima ciuitatis clade atque calamitate, cuius proh dolor in hac vltima temporum confusione, non obscura sed admodum tristia per Galliam & Belgium extant documenta. An enim vlla ex re acerbiores, & virulentiores oriantur dissensiones, quam ex religionis instinctu & sectarum diuersitate, superuacuum est hoc loco pluribus persequi, cum inter homines ita plerumque comparatum natura sit, vt mille potius mortes, mille supplicia, mille ignes ferre malint, quam religionis sensum, semel animis impressum, deserere.

Tandem quo minus de summa ciuitatis perturbatione dubitari posset, illud etiam omnium animos permouebat, quod Commissarij non solum speculatorum multitudinem, cum quibus ciues omnes vehementer dissidebant, propter varias calamitates apud exteros Reges & Principes illorum rapinis in ciuitatem prouocatis, in potestate habebant, eo magis effrenem, & ad vim procliuem, quod non ita pridem ex eorum socijs nonnulli propter nocturnum latrocinium affecti fuissent supplicio: Sed insuper etiam Castellanus Gedanensis militum numerum non contemnendum in ciuitate passim clam & palam conscripserat, Ex quo non obscure apparebat, Commissarios si non ex sententia sibi quæque succederent, actionibus suis vim manifestã, qua nihil ad ciuitatis pernitiem tum excogitari poterat detestabilius, adhibituros, Neque id clam habebant perditissimi quiq; ex speculatoribus & militibus recenter conscriptis, qui nocturno

ctirno tempore ciuium domos inuadebant, contuberniorum so-
cietates ad pugnam & rixas prouocabant, aliaque multa insolen-
niter agebant, vt cum incendia per vrbem diuersis locis non sine
suspitione incendiariorum ipsorum orirentur, dum ciues re-
stinguendis ignibus occuparentur, sibi ipsis acclamare solebant,
si quid agendum esset, has esse rerum agendarum occasiones ex-
optatissimas, & his similia, quibus satis ostendebatur, eos eius
esse generis milites, qui sub aduentu Commissariorum maximam
spem haberent, se vento aliquo in optimũ quemq; excitato, posse
in malis Reipub. portum suorum malorum aliquem inuenire.

Senatus quamquam in Castellani conatibus fraudem latere,
cuiuis appareret, eoque tempore non minus à domestica prodi-
tione, quam externa vi ciuitati prospiciendum esset, nihil tamen
temere sibi agendum existimat, sed rem omnem Cardinali Hosio
publico terrarum Prussiæ præsidi per literas exponit. Ex eo enim
optime se scituru arbitrabatur, quid hoc rei esset, in quem vsum
milites absq; scitu cæterorum consiliariorum cogerentur. Rescri-
bit ille quidem, eos milites in subsidium Illustriss. ducis Finlan-
diæ Regiæ Maiest. mandato colligi: Verum neq; apparatus erat
vllus ad transmittendum tam importuosum mare, nec commea-
tus, nec stipendij ratio exigebat, nullæ naues ad transfretandum
idoneæ, Quin imo Septentrionalis huius maris tanta est hiberno
tempore sœuitas, vt sine maximo periculo nauigari nequeat.
Tum autem certo compertum erat ex ipsis militibus, plerosq;
illorum ea conditione nomina dedisse, ne illorum opera Castella-
nus ad maritimam expeditionem vteretur. Quæ quidem incœpta
vti plane sibi non constabant, quod quiuis non deliro saltem in-
genio facile dijudicaret, ita nemini dubium erat, quin ad stabili-
endam Commissariorum insolentiam in ciuitatis perniciem & op-
pressionem fuissent excogitata.

Hac tam insigni Commissarialis facultatis abusione, contra
manifesta principis responsa, contra libertatẽ patriam & Reipub.
tranquil-

tranquillitatem vsurpata, non absq; singulari Regiæ Maiestatis indignitate, Senatus populusq; Gedanensis grauissime perculsi attonitiq;, cum rei crudelitatem in Elbingenses exercitam, in se conualescere posse, & quasi in speculo eò atrotiora sibi exempla pertimescenda non obscuris argumentis præuiderent, quo infensiores Commissariorum præcipuos haberent, & non modo religionem, libertatem, priuilegia, & ornamenta ciuitatis, sed vnius cuiusq; fortunas, honorem, ipsam denique vitam, & quæ cum vita æquiparatur famam, in apertum discrimen vocatum iri perspicerent, illud acuratissime sibi prospiciendum existimabant, ne in tanta rerum omnium, quæ imminere videbatur, perturbatione Respub. detrimentum aliquod irrecuperabile caperet.

Quapropter omnibus ijs de rebus ad Commissarios perscribunt, expositis periculis, quæ non minus ipsis Commissarijs, si ciuitatis aditu non abstinerent, quam magistratui & vniuerso populo imminerent: ac per quam reuerenter, & per salutē publicam rogant, vt cum suæ, tum ciuium omnium saluti consulentes, in ea causa, quæ ciuitatis, & terrarum Prussiæ iuribus & moribus essent contraria, supersederent potius, & rem integram ad Principem referrent, quam ciuitatis statum alienissimo tempore suis actionibus commouerent, & tam sibi quam ciuitati præsentissimum periculum crearent, neue eam exclusionem aut in Regiæ Maiest., quod procul absit, contemptum, aut in sui contumeliam per obseruantiæ obliuionem, sed tranquillitatis, tantum, publicæ retinendæ gratia fieri existimarent, cum quod quisque iuris sui tuendi causa faceret, ad nullius iniuriam spectaret, neq; nouum esset Commissarios contra ius vel vtilitatem publicam destinatos repudiari, interdum etiam aditu prohiberi. Ne vero contra fidem subiectionis Regia mandata negligerentur, significant, sese internuncios suos extra ciuitatem quandocunq; & quocunq; locorum ipsi vellent, missuros, qui postu-

lata

lata Commissariorum cognoscerent, & illis vicissim rationes publici status exponerent, si qua via fortassis iniri posit, vt bona vtrinque gratia, donec res essent tranquilliores, discederetur. Ad ea rescribunt illi, se rationes illas, quibus Gedanenses existimarent Commissioni subiacere nolle, statim ad Regiam Maiest. misisse, & habere iam præ manibus literas declaratorias, quibus Princeps iuberet, illos omnino ad ciuitatem proficisci, & ea agere, quæ in mandatis sibi data fuissent. Addunt dolenter se ferre, atq; adeo valde mirari, Senatum non audita Legatione, neq; visis personis illorum, nullam notionem habentes nec rerum nec negotiornm à Regia Maiestate ex ~~Secreto~~ sibi commissum, ad solam famam & rumorem Senatores regni ciuitatis aditu satis pro imperio prohibere, quæ patere soleat ac pateat omnibus non solum subditis, sed etiam extraneis, idq; infirmæ sortis atq; nefarijs hominibus. Quod sane non aliud esse, aiunt quam Regiæ Maiestatis numen & autoritatem non tantum nō reuereri, sed etiam quantum in vobis sit, simul cum legatione nostra spernere ac contemnere. Et quamuis hoc nouum & insolitum esse videatur, rationem reddere consiliorum Maiestatis, volumus tamen in primis vos scire, nos nō ad oppressionē, sed in releuamen subditorum non ad perturbandum ciuitatis statum, neque ad aliquam nouam inducendam formam, non ex instinctu paucorum, sed, maturo consilio Maiestatis Regiæ & Regni consiliariorum, in salutem illius ciuitatis nos missos esse. Deinde cognitum habeatis, nos non solum Commissarios cum potestate limitata, sed etiam legatos esse, hoc est, habere nos nonnulla munia, quæ duntaxat nudo ministerio constant, vt videre, lustrare, inquirere, nonnulla quoq; quæ iuris dictionis quidem sunt, sed in his quæ magis ad pacem & tranquillitatem ciuitatis pertinent. Sunt alia, quæ mere Maiest. Regiam, eiusq; personam ex constitutionibus & pragmaticis sanctionibus terrarum Prussiæ contingunt, atq; reseruata sunt. Hæc de ratione officij recensentes, hortamur tandem ne nos Se-

Senatus consultu

natus aditu Regiæ ciuitatis excludat, sed ijs partibus defungi pa-
tiatur, quas deinde latius ordines sunt cognituri. Scituris omnibus
quicunq; nos ciuitate Regia prohibuerint res apertè cõtra Princi-
pis auctoritatem, & in eiusdem vilipendium id esse attentaturos.

Ad has literas Senatus, cui mirum videbatur, intra triduum
hinc inde VVarsouiam comeando, à Rege tam cito literas decla-
ratorias accersiri potuisse, in hanc sententiam respondet: Etsi fa-
cile credimus, inquiunt, eiusmodi literas extare, quia tamen nobis
absentibus ad vestram informationem impetratæ sunt, facile pro
insigni sapientia vestra intelligitis, quantum momenti habere pos-
sint, apud eos, quorũ maxime intererat eiusmodi declarationi, ad-
fuisse, Quod, an extra conuentionem publicam fieri possit, ipsi
consideretis. Agitur de rebus omniũ maximis, de iuribus, de pri-
uilegijs, libertatibus, constitutionibus, consuetudinibus. Quo ma-
gis non mirari non possumus, vos auditis grauissimis necessarijs q;
rationibus nostris, non à proposito ciuitatem ingrediũdi decedere
velle, vnde fit, vt conceptæ in multorum animis suspitiones non
possint non maximopẽ augeri, eoq; maior nobis necessitas imponi
videtur, vt vtrimq; tam vestræ securitati, quã propriæ nostræ sa-
luti consulere cogamur. Maximè cum ad concitandam aduersus
nos plebem in ciuitate passim scripta seditiosa spargantur, & per
suppositas personas animi ciuium & contuberniorũ varijs artibus
tententur. Etsi enim vos proponatis quandam Cõmissionis & Le-
gationis vestræ diuersitatem, & in vtramq; partem expensis ratio-
nibus, hoc obiter concludatis, cuncta ad pacem & tranquillitatem
ciuitatis, cõparata esse qua tamẽ ratione violatis iurib., priuilegijs,
libertatibus, explosa magistratus auctoritate, cõmota plebe, pax
non solùm in ciuitate, sed etiam inter priuatos concordia diu con-
stare possit, etiamsi leuissime de omnibus suspicemur, haud sane
intelligimus. Suadet nobis iurisiurandi religio, qua Principi & Pa-
triæ deuincti sumus, tum in Rempub. fides, & erga Regiã Maiest.
obseruãtia, deniq; honoris, famæ & existimationis amor, vt ita vo-
bis ingressum ciuitatis tantopere vrgentibus nos accomodemu-
me & nos ipsos cum liberis & vxoribus, & vos vna præsentissimis

periculis exponamus, longe maiori & euidentiori Principis indignatione, si forte atrocius aliquid in vos admitteretur. Quapropter petunt iterū atq; iterum, vt ipsimet Cōmissarij habita temporum & præsentis status acurata ratione, propositum cōmutent, Sic enim ordinibus vnanimi cōsensu decretū esse, eos, quos in pernitiem ciuitatis contendere non ignorarent, non admittere, nec eorum iuditio subiacere, priusquam de certa scientia Regiæ Maiest. edocti plenius fuissent, & cum cæteris harum terrarum consiliarijs suæ Reipub. rationes acuratius tractassent.

Quod dictum est de celeritate literaum, quæ VVarsouia tam cito redierant, nō videtur de nihilo fuisse, neq; deerant, qui fando audiuissent: Cōmissarios plurimas secum habere chartas vacuas, Principis sigillo manuq; subsignatas, in quibus quicquid ipsis videretur, quandocunq; vellent conscribere possent. Post discessum certe Cōmissariorum, chartas eiusmodi puras, & appresso regio sigillo munitas, apud homines leuissimos in summū Regiæ Maiest. dedecus venales fuisse constat, quarum vnam & alteram præcio comparatas Senatus paulo post per internuncios suos Regiæ Maiest. pro testimonio nundinationis eius transmisit.

Cæterum cum illis neglectis Cōmissarij propositū vrgerent, sparsis interim in vulgus non contemnendis seditionū irritamentis, Frideualdus etiā agrestes & colonos in pagis ciuitatis ad rebellionē cōcitaret, Gedanenses denuo re maturē & sæpius deliberata cū inter aquam & ignē, quod aiūt, hærerēt, & aliter ciuitatis salutē expedire negrent, ex duobus malis minimum eligere tandē coacti fuerūt. Quandoquidē nemo erat, qui in tanta hominū frequentia, tāta militū ferocitate, in tāta deniq; plebis cōmotiōe, quæ neq; cōsilio, neq; ratione, neq; discrimine, aut delectu aliquo, sed cæco potius impetu, & quadā temeritate ducitur, non oia tūstia, & ipsis Cōmissarijs intromissis & vniuersæ ciuitati imminere, ac ipsam Regiā Maiest. leui aliqua Legatorū suorū violatiōe multo magis quā hac tam necessaria exclusione offensum iri, persuasissimum haberet.

Ex quibus oībus apparet Senatum populū Gedanensem ad eam

Commissariorum exclusionem, non aliqua temeritate, nec vllis malis artibus, aut machinationibus, sed ineuitabili necessitate, incredibilis incommodi, & periculi publici auertendi, & propriæ salutis ac quietis vltro citroq; conseruandæ gratia descendisse, Cuius quidem quietis & tranquillitatis rationes nemo vnquam dubitauit, semper apud optimum Principem, plus fuisse valituras, quàm vllam Commissariorum auctoritatem, quæ nihilo minus salua, intacta, & pene conseruatam Rempub. & ipsa plane manesit incorrupta. Etenim si pietas est amare patriam, proque periculis eius propulsandis vitam, si opus sit, profundere: si vera gloria & dignitas regalis in conseruatione iurium ac priuilegiorum populis bene meritis ad perpetuã fruitionem, immortali liberalitatis beneficio concessorum, magis quàm vlla alia re consistit & illustratur: si præmia potius ijs debentur, qui toti Reipub. profuerunt, quam qui paucis diebus gratificari voluerunt: & si contemnendi sunt, qui in tempestatibus se, quam nauem malunt esse incolumes, an vllius criminis, nedum rebellionis, Gedanenses insimulari possint, quod in summo Reipub. discrimine summa pericula vitare, & nauigantium instar non eum, quem cœperant, cursum, sed quem mutata velificatione assequi possent, tenere maluerunt, quam extrema naufragij experiri, quilibet saltem, â pietate non alienus, pro iudicij æquitate facile æstimabit.

Hunc in modum exclusi Commissarij, quod prima die mensis Nouembris factum fuit, cum in Episcopali monte, qui vrbi imminet, hospitia cœpissent, postero die Castellanum Inowlodensem ex Commissarijs vnum ablegant, qui suppresso nomine in ciuitatem, admissus, cum familiaribus suis, hospitium è regione Curiæ capit. Hoc ideo plæriqui factum interpretabantur, vt vel consilia Senatus exploraret, vel turbas aliquas inter ciues sereret, quoniam Commissarij persuasum sibi habebant, non communi ciuium consilio, sed priuata Senatus auctoritate se excludi.

Ordines

Ordines certe alieniſsimo tempore poſtulabat conuocari. Vbi rumor increbuit, vnum ex commiſſarijs intromiſſum eſſe, contra commune placitum, non ſine ſuſpitione quaſi Senatus clam ciuibus cum Commiſſarijs colluderet, & iam tumultuari ciues inciperent, hoſpitium autem ingens multitudo circumſtaret, non nulli fremerent, ac viæ ſtratæ lapides eximerent, monitus à Senatu, vt vrbe potius exiret, quam intempeſtiuis poſtulationibus ſalutem ſuam in diſcrimen conijceret, atq; inde exemplum caperet, quid, Commiſſarijs omnibus in vrbem receptis, à populo fuiſſet expectandum, paulo poſt à duobus Secretarijs currum comitantibus ſine malefitio in pacatum educitur.

Sequenti die, tertio Nonarum Nouembris, Commiſſarij per tabellionem adhibitis, tanquam teſtibus, tribus nobilibus viris, Senatui mandatorum quaternas literas exhibent, quibus Rex nuncio Pegaſo de rebus omnibus celeriter edoctus, binis quidem iubebat, vt militem, preſidij cauſa comparatum, Senatus in continenti dimitteret, & reiectis omnibus exceptionibus ordines iuriſdictionem Commiſſariorum agnoſcerent, & imperata facerent.

Tertium mandatum inſcriptum erat præfectis & ſenioribus tribuum, Contuberniorum, ſocietatum, toti denique communitati, quibus edicebatur, vt toties, quoties Commiſſarij iuſſiſſent, conuenticula facerent, de iniurijs ſuis conquererentur, de labefactato rerum ſtatu conſilia conferrent, & in reſtituendo communi Reipub. corpore Principi fidem præſtarent in omnibus denique Commiſſarijs, tanquam ipſimet Principi, parerent.

Quarto militibus mandabatur, ne amplius in ciuitate ſtipendia facerent, ſed continuo literis ijſdem militari ſacramento ſoluti eſſent. His ſubijciuntur Commiſſariorum literæ, quibus Clefeldi cauſam, quam Gedani nunc audire terminareq;, pro vt

constituerant, non possent, in eodem, quo relicta erat statu ad cognitionē Regiæ Maiest. remittebant. Quibus omnibus in consilio centum virali recitatis cū existimarent ordines, Commissariorum actiones enormes plane futuras et periculosas contuberniorū etiā conuentiones, conciliabula & consilia, legibus & cōstitutionibus publicis diserte prohiberi, & seditionum causas habere proximas scirent, à consilio repudiandæ cōmissionis illius nihil mutarunt, Militem vero cum è vestigio dimittere & vsu Reipub. minime videretur, placuit eius consilij rationes, quas habere se putabant, grauissimas, ad Maiest. Reg. plenius perscribi. Quod autē ad Clefeldi causam attinebat, quandoquidem omnem Cōmissariorū iurisdictionem reprobassent ordines, creditum est, eam frustra in quemuis sigillatim exercerī.

Interim dum hæc aguntur, Senatus Syndicum Cleopham Meienium in aulam ablegauerat, qui rebus ciuitatis in his perturbationibus prospiceret & cōmissionis illius abolitionē, quantum posset, impetraret. Nihil prætermissum est, quod à diligentissimo viro præstari potuisset, & actionibus Cōmissariorum accuratius inspectis, plerisq; qui aderant consiliarij, minus res probabantur, & ipsa Regia Maiest. mentem suam ad ciuitatis illius cōmodum propensissimam, ab omni vero iniquitate alienissimam palam testabatur. Verum cū Episcopi Vladislauiensis emissarij nouis literis, nouisq; de Gedanensium pertinacia querelis, non aulam solum vniuersam complerent, sed aures etiam Regis & Consiliariorū penitus obsiderent, insup etiam aditū omnē nostratibus præcluderent, nihil tum quod ex vsu ciuitatis esset, expediri potuit, præsertim cū rumor increbesceret, Cōmissarios à Gedanensibus excludi, multaq; odiosa in Senatū calumnijs & mendacijs permista, passim & verbis & literis vno cumulo profunderentur. Tandē vbi animaduersum est, rem in eum deuenisse locū, vnde integram recipere difficile esset, nec Rex ipse remedij quē vellet modum inueniret, causa omnis ad comitia Lublinensia maturius expedienda prorogatur,

gatur. Decernunt Gedanenſes legationem publicam qua Maieſt. Regia de rebus illis omnibus, de ſtatu Reipub. deq; Cõmiſſariorũ exclusione plenius edoceretur. Legati erant ex ordine ſenatorio Ioan. Brandes præconſul, Petrus Bohemus. Ex ſcabinis Reinoldus Moelner, Ioan. à VVerden, in cuius locũ poſtea ſuffectus eſt Ioan. Connert. Ex centumuiris Ioach. Eler. Conrad. Heiuer, Ioach. Landman & Frideri. Huffeldt. Audiuit illorũ petitiones Rex ſatis clementer, die ſexta menſis Ianua. Anno 69 quæ potiſsimum eò ſpectabant, vt dignaretur Regia Maieſt. ea quæ contra ius & vtilitatem publicã iſtis illicitis Cõmiſsionibus attentata fuiſſent, clementiſsimè abolere, & ſublata omni indignatione, id quod pro conſeruanda ciuitatis tranquillitate, ac ciuili conſenſione ſuſceptum eſſet, ita approbare, ne in Cõmitijs regni iam inſtantibus neceſſum eſſet, rem per ſe odioſam tractando acerbiorẽ reddere, cũ omnes ciuitatis ordines ſoli Regiæ Maieſt. eam gratã humilimo ſtudio magnopere cuperent acceptã ferre, quã poſtmodũ & aliorũ interceſsione, & ipſius cauſæ æquitate facile ſe confiderent impetraturos. Verum nihil tũ pſentibus legatis aliud reſponſum fuit, quàm Regiam Maieſt. nolle ſuo ſolius arbitrio id terminari, quod præmaturo multorum procerum conſilio conſenſuq; ſuſcepiſſet, itaq; ampliori deliberatione ſe vſurum ſignificat: Enimuero ſatis conſtat, cõmiſsionẽ illam extra regni conuentionẽ, ijs ſolis fermè præſentibus & ſuadentibus, qui eam deinceps obiuerũt, fuiſſe promulgatã. Itaq; cũ appareret negotiũ iſtud cõmiſſoriale, incipientibus iã cõmitijs generalibus Lublinũ indictis ad diſceptationẽ in Senatu Regni & iudicialẽ cognitionẽ protractũ iri, eamq; ad rẽ P præconſul legatus nõ eſſet ſatis inſtructus, neq; etiã propter ætatis grauitatem rebus idoneè præeſſe poſſet, placuit illi Clefeldum cũ plenioribus eius cauſæ mandatis adiungi, præſertim quod is alioquí ad Regiæ Maieſt. cognitionem à Commiſſarijs fuiſſet remiſſus.

Antequam is in Poloniã proficiſceretur, conuentus terrarum indi-

indicitur Elbingam, in quo constituit senatus Gedanensis consiliarijs negotium istius commissionis, velut insigne præiudicium publicarum legum & libertatum, & totius Reipublicæ perturbandæ, introductum initio proponere, & illorum intercessionem, & auctoritatem in exorando Principe implorare. Quam ad rem constituendam idem Clefeldus destinatur. Verum aduersarij, qui vna in consilio futuri erant, hoc etiam impedire conebantur, vel quod existimarent, illum priuatas iniurias & contumelias auctoribus præsentibus exprobraturum, nec hominum eiusmodi perfidiam & arrogantiam dissimulaturum, vel quod priori inuidiæ hanc etiam ignominiam adijcere se posse sperant. Monet igitur Hosius Cardinalis senatum, & binis quidem literis satis obstinatè vt ad eum conuentum, per consulares internuncios obire oporteret, & eligeret legatos qui nulli vel actioni vel criminationi essent obnoxij, ac si quis priuatæ rei causa eo venire posset, vt is priuato non publico nomine, ad consilium veniret.

Respondet Senatus, non obscure intelligere sese, ijs verbis Clefeldum notari, quod is ex calumnia Nebulonis Frideualdi per Commissarios, quasi de criminæ lœsæ Maiestatis Elbingam fuisset euocatus, quam citationem, vti friuolam & ambitiosam optimo iure neglexerit, eoque nomine Castellanum Gedanensem offensum habeat, atque adeo magis quidem, quo liberius ille patriæ libertates in consilio soleret defendere. Cuius honori tantum abesse, vt in istius × delinimentum quidquam derogatum velint, vt iam illum legatum ad conuentum Elbingensem designauerint. Vehementer autem sese mirari, qua auctoritate ipse primum electionis modum, quæ semper Senatui fuit liberrima, præscribere, deinde factam iam diu legatorum designationem reprehendere auderet. Nullum certe Anteceſſorum eius, qui publici terrarum consilij Præsides fuissent, tale quidpiam in Senatus despectum attentasse. Neque vero æquum se censere, liberta-

× Castellani

libertati suæ vlla ex parte in cuiusvis gratiam derogari. Proinde quemadmodum, inquiunt, ipse haud æquo laturus esses animo, si quis tua iura, tuasque libertates intercipiat: eodem pacto de nobis coniecturam facere potes, quo loco factum tuum habeamus. Vnde prudenter in mentem tibi veniet, non esse tui muneris, vt quoquo modo ius nostrum debeas impedire. Nam quod ideo putas Clefeldum nostrum legationi renunciare oportere, quod illi crimen læsæ Maiestatis intentatum sit, nullo certo argumento, nullis probationibus, sed indicijs ab homine omnium improbissimo, ex priuato Commissariorum odio, nullam profectò rationem habet, cum ne in minimo tanti criminis suspectus, ne dum conuictus vnquam fuerit. Neq; vero magnæ artis est viro bono crimen falsò infligere, facilius enim hoc modo criminationibus essent obuij, qui talia ex ingenita nocendi cupiditate struũt, quam cœreri, quos in sinistras suspitiones deuocare nituntur. Ideoque non accusare ius est, sed accusatum conuincere. Imò Clefeldus vices Regias in hac vrbe nunc gerit, quas eius fidei Princeps ipse commisit & etiamnum eius perspectissimæ integritati acquiescit, & illi ipsi qui crimen intenduut, hoc illum titulo salutant.

Tantum abest, vt ea criminatio possit eius existimationi, hactenus probe & honestè conseruatæ, maculam aspergere, vel cum tam insigni præiudicio illum consilio exterminare. Meminimus in proximo Regni conuentu VVarsouiensi, Consiliarios terrarum Prussiæ palàm ab Archiepiscopo Gnesnensi, audiente Principe, criminis læsæ Maiestatis insimulatos, quod illorum decretis, perperam latis, non consentirent: nec tamen ideo senatu moti sunt, & in publico Senatorum Regni consilio nemine contradicente assederunt. Quapropter reuerenter petunt, ne quidquam à se velit expectare, quod cum præiudicio iuris sui coniunctum sit, neue committat, vt prætextu cuiusuis criminationis in eo conuentu legatis suis, qui locum ciuitatis in consilio publico obtinebunt; quidque eueniat, quo dignitas & existimatio se-

x ex publico.

natus imminuta quouis modo fuisse videatur.

Hoc modo Clefeldus quantumuis indignantibus eius fâriæ hominibus pro legato conuentum eum obijt, & causam ciuitatis constanter egit, priuatam ignominiam ipsi Principi vti æquissimo iudici excutiendam humillime commisit. Inde in Poloniam veniens nihilo res meliores inuenit, sed acerbiores multo, quam quisquam speraſſet, adeò omnes homines calumnijs præoccupati erant, vt ne defendendi quidem locus superesse videretur. Clefeldum vices regias gerentem omne malum istud præcauere potuisse, illum suis cõmodis & inter ciues auctoritati priuatim studendo, Regiam dignitatem proculcasse, atq; adeo exclusionis eius fermè solum fuisse auctorem.

Tantum certè valuit ea calumnia penes Regem ipsum, vt cum cæteri cõsiliarij Prussiæ ad Regium consiliũ vocarẽtur, iussi fuerunt Gedanenses, à consilio abstinere. Quod internuncij cum ægrè ferrent, & ciuitati præiudicium insigne eo pacto fieri conquererentur, nec quidquam tamen subsidij in cæteris haberent, ad extremum tamen Rex testatus est, sẽ ius integrum ciuitati reseruare, solum autem Clefeldum, vtpote qui de læsæ Maiest. crimine Reus ageretur consilia abdicare, collegam eius consularem non excludere. Collega Petrus Bohemus, quod communem cum Clefeldo legationis causam obiret, melius putabat ijsdem consilijs abstinere.

Disceptata deinde in Senatu Regio Commissoriali causa, cum ipsi Commissarij vehementius rem exaggerarent, & quibuscunque possint modis Clefeldum onerarent, visum Regi, Proceribusq; fuit, vt causæ publicè iuris ordine palàm in Regni Senatu proponeretur. Cuius rei ordinem, quomodo peractus fuerit sequenti libro latius prosequemur.

De ac-

De accusatione Frideualdi, & accusationis eius confutatione. Liber Secundus.

POstquam internuncij ciuitatis Gedanensis addictam diem, quæ vicesima tertia erat mensis Martij, ad consessum Regis & Procerũ vocati essent, iamq; in animo haberẽt rationes facti sui proponere, ibi tum prorupit Instigator Frideualdus & accusationem capitalem contra ciuitates Elbingensem & Gedanensem, nominatim autem earum Præconsules instituit, multis confictis & coaceruatis criminibus, calumnijs, vndiq; conquisitis, mendatijs, nugis, conuicijs, ex triuio comportatis. Cuius accusationis summa capita vt perstringamus, ac verissimã criminum omnium, quæ quidem ad Gedanenses spectant, confutationem opponamus, ordo rerum nunc exposcit.

Initio autem personam suam à maleuolorum contumelia defendendã suscipit, quandoquidẽ à multis proditor patriæ & libertatum appelletur, idq; potissimũ & officij sui instigatorij ratione, & & sacramenti religione, qua princips sit astrictus crimen à se remouere conatur. Deinde causas subtexere nititur, quibus impulsa Regia Maiest., Cõmissarios in Prussiã ablegauerit, varias nimirum iniurias, quibus Magistratus contra constitutiones & edicta Principis ciues suos opprimerent, mox eius rei tanquã præsens testimonium adducit Anglum quendã sibi astantẽ, qui virginem nubilem Gedanensem honesto loco natam ambiens, cum sciret, eam parentibus orbam esse, à Tutoribus matrimonium eius petiuerit, quo denegato, ipsammet extra ciuitatis territorium abduxerit, & con-

iugio sibi copulauerit: quam ob rem à Gedanensibus in carcerem coniectus, & publicè postea proscriptus fuisset, literis Archiepiscopi quibus, matrimonium illud confirmasse dicebatur, nec non mandato & saluo conducto Regis planè posthabitis, & neglectis.

Porro cum Regia Maiestas Commissarios Speculatorum Gedani constituerit, quibus plenam in eos iurisdictionem concesserit, vt sua iudicia peculiariter haberent, quemadmodum non non est vsitatum, vt in vna ciuitate diuersi sint, cum diuersa potestate iudices, his tamen neglectis docet speculatores eos à Gedanensibus multis & magnis iniurijs affectos, contumelijs exagitatos, naues eorum pilis tormentarijs transuerberatas vndecim tandem ex ijs, capite mulctatos, qui maris diuturna tempestate iactati salsarum carnium tœdio à rusticis quibusdam pullos emere voluerint, quos cum rustici vendere nollent, & contumelijs insuper eos prouocarent, à verbis ad verbera deuentum esse, sic vt in ea pugna rusticorum nonnulli (non tamen lethaliter) vulnerarentur. Ac cum ob id facinus speculatores illos præfectus eorum in vincula coniecisset, magistratum ciuilem falcem suam in alienam messem misisse, vinctos exemisse, in suos carceres deduxisse, & non attenta Commissariorum intercessione, paulo post Regios seruitores capitali supplicio affecisse.

Tertio loco Commissariorum exclusionem multis, magnis & tragicis exclamationibus exaggerat, rebellionem eam in tota iam Christianitate (sic enim homo latinus loquitur) per Germaniam, Hispaniam, Angliam, in Regiæ Maiest. maximum vilipendium innocuisse: Ipsos vero Gedanenses, quasi bene gesta, nuncios suos bene armatos cum tredecim curribus huc misisse, " non vt culpam deprecarentur, vel misericordiam implorarent, sed insuper eam iniuriam scheda quadam ad Archiepiscopum missa auxisse, dum Regiam Maiest. insimulant, Commissionem eam

eam non iure, sed contra ius editam esse, nouam insolitam ad Reipub. statum mutandum compositam, iuribus, pactis, constitutionibus, priuilegijs, consuetudinibus contrariam: Eosdem Regem porro criminari, quod illi non licuerit, extra conuentionem Regni generalem, & citra pragmaticam sanctionem commissarios mittere, quod ad paucorum saltem querelas & delationes missi fuerint, quod quinq; saltem missi, quod illi Legati Elbingæ iure non processerint, quibus criminationibus omnibus crimen lœsæ Maiest. enormiter admissum demonstrare conatur.

Post hæc accusationem nominatim in Clefeldum detorquet, nimirum quod eius consilio, persuasi Elbingenses obuiam Commissarijs, vti par erat, non iuerint, & eiusdem suasu Episcopum in Prætorium diuertere noluerint, Eundem illis consuluisse, vt Senatus claues portarum à ciuibus reciperet, nimirum vt noctu milites Gedanenſium ad opprimendos & trucidandos Commissarios intromitterent. Eundem oblitum iurisiurandi sui fuasisse Elbingensibus, ne appellationem in criminalibus causis admitterent: Eundem dixisse, optare se, vt omnes vbique causæ amica transactione sopirentur, ne daretur occasio disputandi de priuilegijs, & hoc modo via ad eorum diminutionem aperiretur: Clefeldi quoq; affinem fretum Rege suo Gedanensi palam ausum dicere, Commissarios sigillum Regni secum habuisse, vt tot mandata, quot ad rem præsentem illis opus esset subinde cuderent, His facinoribus Clefeldum eas pœnas incurrisse, quæ in Reos Maiest. constitutæ sint, ideoque dignum non esse, qui in hoc augusto consessu respondeat, sed incarcerari potius & ex vinculis causam dicere debere, qui iam antea in eo statu sit, vt impune occidi possit.

His longa & insulsa oratione peractis, tandem summatim capita criminum, quibus accusatos insimulabat colligit, nimirum, quod Legatos & Commissarios Regios vrbe excluserint, ac ipsi

dem commeatum vendi prohibuerint: quod Senatus & Centumviri corporali interuenient iuramento aduersus Regiam maiest. conspirauerint, quod mandata & edicta Regia publicari interdixerint, quod famam & existimationem Regiam famosis scriptis traduxerint: quod familiares & seruitores Cómissationum contumelijs & iniurijs affecerint: globis etiam emissis, & nudatis pugionibus infectati fuerint: quod milite inscio Principe conscripserint: & eum ex mandato non illico dimiserint: quod auctores publici tumultus extiterint, dum plebi persuadent religionem innouatum iri, Monachos & Iesuitas iam per Vistulam deduci: quod noctu & interdiu stationes armatas pro portis habuerint & aditum ad ciuitatem deiectis pontibus intercluserint, quod tormenta bellica euexerint: quod Regij diadematis potestatem, & ius gladij vsurpanres, appellationem grauatis denegauerint: quod Anglum neglecto saluo conductu proscripserint: quod vndecim seruitores Regios capite multauerint: quod bonos & honestos ciues fideles Principi suo famosis libellis traduxerint, varijsque iniurijs afflixerint: quod Elbingensibus auctores extiterint, ne obuiam Commissarijs prodierent, neue Episcopo in Curia hospitium concederent: quod denique Nicolaum Shulzium Elbingensem præconsulem profugum suis equis & satellitibus per Pomeraniam, Stetinium vsque deduxissent.

Hæc fermè summa fuit accusationis, quam Instigator in Senatu Regni verbis primum proposuit, & eandem edito postea libello diuulgatam pluribus in locis maligniori etiam studio auxit, nonnulla commutauit, pleraque calumnijs exaggerauit, demum ea quæ in omnes accusatos antea congesserat, nunc in solum Clefeldum detorquet. Quæ omnia pluribus hic repetere superuacuum fuerit, ea vero quæ in rem præsentem pertinent, in confutatione

tatione criminationum earum, quam nunc aggredimur, suis quæque locis apertius & fusius ad diluenda accusationis capita deducemus.

At quoniam accusationis initio instigator oblitus omnis verecundiæ, Regijs actionibus suæ personæ defensionem satis arroganter proponit, nobis, etiam eodem ordine pauca de ipsius persona sunt dicenda. Delatores quamplurimos esse (sic enim opinantur nonnulli quibus cum nobis res est) maxime conducit Reipublicæ, nimirum ne vitia sint in occulto, & impunitate scelerum maior ad peccandum sit licentia, verum vt ego opinor, qui de quouis delicto alium vult arguere, eum semetipsum intueri oportet, ne in alijs reprehendat, quod ipse patrare consueuerit. Quemadmodum hic instigator merito erubesceret, dum accusat alios, qui se nondum ipse turpi proscriptione exoluerit. x si modo pudoris quicquam habet

Eo autem prædicare fidem suam, quam plus decies violauit? probare Maiestati Regiæ officium suum? Quis homo? Proh DEVM immortalem, quo mundo nemo viuit sceleratior, nemo iustioribus de causis à Regio conspectu, atque à consuetudine bonorum virorum ejciendus. Ait se præstare fidem hanc Regi suo vigore iuris iurandi, quod ante multos annos dederit, ea vero mira est, & singularis fidei sterilitas, quæ tam diu in senticeto latere potuit, & hoc demum anno fructus parturit tum, cum minime necessum fuerat. Equidem credo, si Elbingenses iampridem illum in Senatum cooptare voluissent, quod adeò perditè semper desiderauit, eaque de causa turbas nunc istas concitat, vt optimatibus magistratu motis, sibi facilior pateat aditus, nec in eam calamitatem

mitatem incidissent ipsi, nec Gedanensibus eius delatio pertimescenda fuisset. Nimirum doluit homini nobili (si dijs placet) & docto, & rerum experto, cæteros obscuros, indoctos & rudes vt ipsi videtur, ad gubernacula ciuitatis sedere, sese autem omnis honoris immunem esse, ideoque aliquid vel breuibus Gyaris, & carcere dignum tentari placuit, quo & ipse loco non infimo haberi se posse confideret, Scilicet tentanda via est, qua me quoq; possim. Tollere humo victorq; virum volitare per ora. Sed heus tu bone vir, istis artibus latebis facile, ne te inueniat honor, cumq; maxime te clarum voles, in obscuro iacebis. Nunc videamus experimēta eius tantopere proclamatæ fidei. Cum ante annos circiter viginti Marienburgi signifer seditionis publicæ, plebem & tabernarios aduersus oppidi senatum concitasset, eaq; de causa apud Regem fuisset accusatus, iamq; capitis pœnam pertimescceret, inuenit acutus homo dolum, non absimilē eius, cuiusmodi iam olim Vlysses vsurpasse dicitur, concidit pronus in faciem, & dementiam simulauit: quo quidem stratagemate non tam astantiū, quam plurimorū coniugi suæ sanguine coniunctissimorum intercessione seruatus fuit. Equidem crediderim, si quis illum in istac amentia fustibus perunxisset, itidem continuo saniorem reddidisset, vti Palamedes Vlyssem mentis esse compotem infantis obiectum non inargute demonstrauerat. Sed hæc vetera sunt, nuper Elbingæ quid designauit homo ad tumultus & seditiones natus: nomine magistratum contra fidem, & obedientiæ ciuilis officium execrandis modis calumniatus est? nonne plebem contra Senatum concitauit? nonne miseros & ignaros ciues subdolis suis promissis in apertam fraudem illexit? & quantum in ipso fuit, patriam, patriæq; libertates, ornamenta publica & priuata prodidit, ac saltem non extinxit? Hic scilicet eius est in patriam amor, quem ipsemet hoc loco non obscure, tanquam ingressionis vice describit, cum se iura & priuilegia à sereniss. mis Regibus patriæ suæ concessa, non vsq; adeo colere, & venerari

velle

rari ~~vide~~ dicit, vt propter nimium amorem iuribus ob id regalibus, vel minimum saltem à quouis hominum derogari optet. Quasi vero inter se pugnent ius Regium Principi competens, & priuilegia subditis à Principe liberaliter concessa, quasi eum qui patriæ libertates constanter tuetur, necessum sit contra Principem sentire? Quid enim iura & priuilegia subditorum aliud sunt, quam constantissimum vinculum, quo subditorum animi ad Principis obsequium & gratificandi perpetuum voluntatem, cum nutu ac mente Principis coalescunt. In qua vero totius regiminis parte iura Principis Regalia quæ vocas, fortius & diutius, quàm in subditorum iuribus, tuendis ac conseruandis consistunt? Ex quo liquido apparet eum qui charissimæ patriæ libertates prodiderit, eadem opera fidem Principi debitam facilius etiam proditurum. Et non erubescit homo, bannitus, proscriptus, infamis, cui toties patrocinio causarum in aula regia fuit interdictum, ore impurissimo magistratum duarum ciuium, quarum, nescio an duas similes Regnum Poloniæ possideat, odiosissime calumniari? In priuata vero vita quas turpitudines inde à prima commiserit adolescentia, quod ne nunc quidem adulta ætate, mendatijs, calumnijs, ebrietate, crapula, vesania, scortis & helluationibus abstinet, manifestius est, quam vt verbis indigeat. Quin ipse tum temporis cum hæc agebantur, patronum se causarum desperatarum prædicari volebat. Non enim sibi videri aiebat, artis esse causam iustam recte probare, sed iniustam impudenter defendere. Enimuero boni viri me pauperant, inquit parasitus Plautinus, improbi alunt, augent rem meam mali, homines strenui damno mihi, improbi vsui sunt. Quibus ex moribus nemo non intelligit quantum huic homini ttibuendum vel eius fidei committendum sit, adeo verisimile est, si scelestiorem vllum sol vidisset, istum ad hanc accusationem non fuisse processurum. Itaque facile concedi potest, quod gloriatur famam se bonam, quam nullam vnquam habuit, nunquam perdi-

 disse,

disse. Atque hæc de eius persona hoc loco dicta sufficiant.

Nunc primum accusationis caput, de Anglo Gedani proscripto, quo quidem instigator tot iniurias ciuibus illatas, tot facinora in Principem admissa, tanquam fundamento quopiam posito, probare nititur, quibus vrgentibus Commissarios omnino missos oportuit, videamus. Narrationem vero de coniugio per literas amatorias conciliato, & paulo post per clandestinam copulam consumato, honestius erit, vt prætereamus: sed nec cœtera quidem quæ ad rem non multum faciunt, magnopere attingere libet, Narrat enim Accusator more suo, quo calumniatores solent, sed ipsam rem, quam fieri potest, paucissimis explicabimus.

Vid. infra pag. 122.

Cum Anglus iste Iacobus Flulin cum Barbara virgine, olim Adriani Rosenbergij filia, vnis in ædibus viueret, eique quotidiana conuersatione arctius sese per amorem insinuasset, ac familiarius & liberius, quam decebat, colluderet, nec quamuis ab hospite commonefactus à liberiore virginis complexu sibi temperaret, ibi tum, maioris incommodi vitandi causa, virgo postulantibus tutoribus & cognatis, in præsentiam magistratus vocata fuit, & admonita, vt mutato tam indecenti proposito, nullam Anglo inuitis tutoribus, refragrantibus etiam legibus patrijs, spem matrimonij sui faceret, & amicis potius rectè monentibus, quam importunæ suæ libidini morem gereret, nec aliquam honestæ suæ familiæ maculam inureret. Ibi tum dicta Barbara palàm ætatis lubrico se circumuentam profitetur, velle posthac istius Anglj consortium vitare, & hominem animo penitus excludere, stipulata insuper manu promittit, nihil se deinceps, inscijs tutoribus & cognatis, in ea re suscepturam. Et quia quotidiana cõuersatio non minimum amoris esse solet incitamentum, consilio tutorum & ipsiusmet consensu ex ædibus sororis ad matertera ram traducitur, eiusq; curæ committitur. Quod impurissimus Instigator, nec honestatis, nec castitatis vllam rationem habens custo-

Conf. Literas Senatus ad Synd. cum Mejj et Secretarium Brunsuiceg in aula Regia commorantes sub dato 19 Dec. 1586 in Lib. Missiuarum.

Fuerunt ædes in der Brodbäuchen Gassen sita dar Englisch Hauß dicto ad Affine Dielenco Lilie adificata et inhabitata.

custodiam quasi carcerem appellare non veretur. Sed & Anglo iam antea virginis cõsuetudo per Præcõsulẽ erat interdicta, nimirum vt occasione suspectæ cõuersationis sublata, vterq; ab isthoc matrimonio, quod legibus vetabatur, mentẽ auerteret, Anglus aũt spreto iussu magistratus, à blandiori sollicitatione per suppositas personas, & literas amatorias non prius destitit, quam virginẽ lenocinijs verborum peruictam, tandẽ sibi mo.igeram efficit: rebus vtrinq; clam constitutis, virgo petit à Matertera potestatẽ in publicum prodeundi, simulans aliquid sibi aliud agendum, non difficulter impetrat, mox in ciuitatem veterem excurrit, & conscenso curru ad fugam instructo, contra Magistratus edictum, neglecta tutorum & agnatorum auctoritate, ab Anglo & eius comitatum statim excipitur, ac extra ciuitatis territorium, permitioso plane verecundiæ virginalis exemplo, in proximum opidulum nuptum deducitur. Nec Anglus ea ludificatione contentus, cum iam pœnam perpetrati facinoris metueret, siniſtra facti narratione protectionis à Regia Maiestate literas impetrat, quarum fiducia Gedanum cum noua nupta reuersus, satis confidenter in oculis tutorum & consanguineorum versabatur, non sine illorum ingenti mœrore, & grauissima bonorum virorum offensione. Cuius rei indignitate extimulati tutores, & cognati Anglum in ius vocant, & de raptu accusant. Ille Principis literas exhibet, Cancellarij manu subscriptas, quibus quidem quod ipso facto non obscure conuinceretur, haud quaquam satis defendi poterat. Etenim Regia Maiestas non semel iam antea clementissime sententiam suam declarauerat, se literas eius generis innocentibus saltem, nocentibus nequaquam esse præsidio velle, nec eas à iure, sed à vi duntaxat, & potentia securitatem præstare ordinaria ratione solere, idque non in criminalibus, sed ciuilibus tantum causis, neque velle literis eiusmodi facinerosis hominibus impunitatem vllam propositam videri. Et constat à Diuis Imperatoribus homicidas voluntarios, & virginum

raptores ita execrabiles haberi, vt eos non modo nullo sacrorum terminorum præsidio velint custodiri, verum etiam inde extractos summo affici supplicio iubent.

Addunt legum interpretes, talibus nullas securitatis literas dandas, neq; si fortè dentur, seruandas esse, nam hoc ipsum mulieris velle, ab nequissimi hominis insidijs, qui rapinam meditabatur, proficiscitur. Nisi enim sollicitasset, nisi ambijsset, nisi malis artibus puellam circumuenisset, non effecisset, vt illa se in tantum dedecus conijcisset. Ac licet volenti non fiat iniuria, tamen in hac causa persuasio maioris est momenti, quàm si vi compulsa fuisset. Interest enim non parentum modo, sed etiam Reipub. liberorum nostrorum animos non corrumpi. Nec virgo quidem consentire potest, quæ sui iuris non est, neque consentit: cum parentes, vel illi, qui parentum loco sunt, repugnant. Prætendit quidem Anglus quod ad conciliandum matrimonium virginis cognatos appellauerit, sed non consequitur, vt hac interpellatione ius in virginem acquisierit, alioquin liberum erit vnicuiq; proco post interpellationem optimi cuiusque filiam sui iuris facere. Constat autem vnum saltem ex cognatis, Martinum Roggium de elocanda virgine conuentum fuisse, qui tum respondit: non licere ex plebiscito, virginem ciuem homini extero desponsare, priusquam is ius ciuitatis impetrasset. Sed cum iure municipali non vnus, sed omnes tutores, sint compellandi, & Anglis ius ciuitatis non facile detur (quamquam adhuc dubium est, Anglus hic sit, an Scotus, an ex vltima fortasis Hibernia oriundus, seruus an liber natus) nequaquam hoc prætextu, factum, quod consecutum est, potest excusari. Cæterum quam pœnam constitutiones Principum, leges Prussiæ, & ciuitatis plebiscita huic facinori irrogent, non necessum est pluribus hoc loco commemorare, sed potius est vt Anglus ea proscriptione secum longe mitius, quàm pro merito actum existima-

re de-

Fnec Anglo eo rectè defendi potest, quod dicit consentiente puellâ id factum esse

re debeat, Regia certè Maiest. cum illi per ciuitatis internun-
cios res proposita fuisset, factū magistratus non approbauit modo,
verum literis etiam solenniter confirmauit. Ac vt euidentius
etiam appareat, ius literarum regiarum à magistratu minime vio-
latum fuisse, quod falso proclamat Instigator, ipsa Principis re-
sponsa, quibus in hac ipsa causa voluntatem suam ostendit, ad-
scribemus. Sic enim Grodnæ vltima Decembris anno LXVI.
rescripsit. Declaramus præsentibus, literas salui conductus no-
stri memorato Anglo à vi & potentia, non autem à iure per nos
dátas & concessas esse, quod in vniuersum omnibus præsertim
Senatui & iudicio ciuitatis nostræ Gedanensis planum & testatum
esse volumus, denunciantes illis, vt prædictū Anglum solummodo
à vi & potentia, non autem à iure exemptum esse intelligant, præ-
dictasq; literas nostras salui conductus vim & potentiam repri-
mere, non autem à iure ordinarij iudicis vindicare apud se cer-
to statuunt. Et Knisnini die 28. Ianuarij anno LXVII. volen-
tes plebiscitis & priuilegijs Fidel. Vestrarum per literas nostras in
nullo derogatum iri, multo minus parti lœsæ ius & iusticiam de-
negari, Fidel. Vestris serio mandamus omnino habere volentes
vt prænominatis consanguineis, de prædicto Anglo secundum
iuris & plebiscitorum suorum formam ius dicant, iusticiamque
debitam & indilatam ex officijs suis faciant, & administrent:
non obstantibus literis nostris salui conductus, qui ei, à vi, non
à iure datus, vel quibuscumq; alijs in contrarium impetratis vel
impetrandis. Et in confirmatione sententiæ scabinalis Knisse-
niur die 14. Iulij anno LXVII. Omnino ita habere volumus,
in primis quando meminimus sacra iussione, & salui conductus
interpretatione nostra Scabinalia iudicia in hac causa firmata fu-
isse, vt sententiæ Legitimo iuris ordine, & iussionis nostræ aucto-
ritate publicè in publico ciuitatis iudicio promulgatæ finitæque
in suo robore firmitateq; perdurent, graue & pernitiosum cen-
sentes si iudiciales cognitiones, quæ sunt iuris publici pars ma-
gna in

adest in Volumine Priuilegiorum III p. 243.

gna in atrociter delinquentes late, qualiter nobis de præfato Anglo fides facta est, obtentum rescriptorum quorumcunq; rescindi deberent. Quapropter ex certa scientia nostra, ea quæ in hac raptus causa iuris & iudiciorum tramite iudicialiter definita sunt, firma & rata esse iubemus palàm, omnibus in contrarium obtentis & obtinendis rescriptis & indultis derogantes, per Regiam auctoritatem nostram & cætera.

Hic est ille crudelis, violentus, & plane tyrannicus processus, vt Instigatori quidem videtur, quem Magistratus Gedanensis aduersus Anglum exercuit, qui quo mitior fuit, eò maiorem alijs occasionem præbuit vt Angli exemplo cui tam leuiter facinus cessisset, paulo post idem audirent, & ciuium filias lenocinijs delinitas vel abducerent, vel constuprarent. Atq; hæc ad primum accusationis caput dicta sufficiant, plura fortasse quam pro instituti nostri ratione, sed necessario in hunc campũ Instigatoris garrulitate pertracti sumus, qui factum hoc adeò calumniose narrat, vt rem verã ignorantibus facile posset imponere. Nam quod addit de sereniſsima Angliæ Regina, quam reuerentiæ causa nominamus, quemadmodum ipsi causam, huius Angli commendauerit, illumq; summo cum desiderio in patriam inuitauerit, credo vel in somnijs id audiuisse nugatorem, vel certe vt alia multa turpiter affinxisse, Quasi vero Regina in Anglia curet, quid raptores Gedani designent. Quo maior est iniuria, quam christianiſsimæ Principi infligit, quod eam facinorosorum receptatricem esse percupere falso sugillat. Neq; præsentẽ ad causam pertinet, quod de Ruperto Hulson adfertur, qui cum virginem ciuem contra leges duxisset, ac intelligeret, vigore plebiscitorũ, se ea in ciuitate cuius ciuis non esset, domicilium habere, & negotia exercere non posse, sponte sua cum vxore rebus omnibus in Angliam remigrauit. Longe certè circumspectius & honestius quam qui virginem malis artibus circumuentam à patria & amicorum consuetudine abstractam publicè velut pompam circumducebat, &

homini

homini nequissimo, qua cum se ebrius Instigator oblectaret, conuiuam & administratricem mensæ præbebat.

Secundum accusationis caput de speculatoribus vndecim ob nocturnum latrocinium supplitio affectis, sic se habet. Inuaserant isti speculatores numero septem nocturno tempore, eam quæ ciuitati proxima est viam publicam, & Pomeranos quosdam & Cassubios, consueta securitate publica, merces & commeatum ad ciuitatem subuehentes, & ibidem non procul ab vrbe in pratis pernoctantes, per vim eximprouiso spoliare ceperant, mox quod voti sui in diripienda vniuersa hominum illorum substantia non essent facti compotes, aucto furum manipulo reuersi, bipartitis iterum turmis, cũ armis & telis irruunt, multos ex viris & fœminis grauiter vulnerant, merces eorum omnes, pannos linteos nouos commeatum venalem, pecunias, vestes & aliquot sexagenas pullorum diripiunt, & ad nauem in ripa fluminis stantem comportant, nec eo contenti tertium etiam in cursionem faciunt prædonum more, ne quid spoliatis omnino relinquerent impigrè prouident, & res tandem ablatas tanquam prædam ex hostibus captam inter se partiuntur.

Quam ob violentiam cum abijs qui læsi fuerant, & ad instantiam nobilium Pomeranorũ, quorum subditis tam atrocia per vim acciderant, vt nocturni latrones, & publicæ pacis violatores accusati & in facto recenti comprehensi fuissent, rapinis præsentibus & propria confessione victi, cum se his facinoribus speculatorum officio fecissent indignos, solenni interposita cognitione, iuratorum iudicum sententijs, sumptum est de damnatis capitale supplicium, quod vias Regias contra publicam securitatem violassent, & in ipsis propè ciuitatis portis miseros & inermes homines nocte inuasissent, pulsassent vulnerassent, & rebus omnibus violenter spoliassent, in apertum Reipub. detrimentum, cuius maximopere interest, vti commeatuum, ita viarum publicarum rationes saluas & inuiolatas habere.

Quæ cum ita re vera sint, mirum est, qua fronte impu-

pudentissimus calumniator ausus fuerit in ea confingere, quæ de latronibus illis hoc loco perperam narrat, quæque non veritati solum, ac publicæ famæ, & omnium, qui tum Gedani fuerunt, hominum scientiæ, sed ipsæ etiam rationi repugnant. Nam quod ait speculatores illos diu mari iactatos tœdio salsarum carnium affectos, recentium desiderio, gallinas à rusticis, quas Gedanum ferri videbant emere voluisse, atque inde rixam ortam esse, eò longius abest à vero, quod illi ipsi prædones, vtpote qui vix ante tridunm primo conscripti fuerant, mare nunquam ingressi sunt. Vnde igitur salsarum carnium tœdium? quasi vero milites, & nautæ pullis & bellarijs cibari soleant. Mirum vero magis, quod tum primum rusticos viderint gallinas Gedanum ferre, qui per aliquot iam horas se quieti dederant, neq; in pratis res suas venales exposuerant, Verum isti nocturni mercatores iam antea, cum illi miseri homines, ingruente nocte stationem caperent, locum omnem speculati fuerant, quo mox prædatum excurrerent. Vbi autem fratres illi quos grauiter decumbentes in naui reliquerant? de quibus nemo cæterorum nautarum quodquam sciuit, quorum post perpetratum facinus nullus vsquam comparuit, nisi fortassis esu pullorum repente (vt fieri solet) ægrotantes conualuerint. Non absimile est illud quod rustici arreptis ac nudatis armis speculatores vltro lacessiuerint, cum illorum nemo arma gestauerit, quique in tanrum eius iniuriæ patientes fuerunt, vt cum septem prædones primum aliquot pullos, ac res alias abstulissent, bene secum actum putarent, si modo cœteræ sibi res saluæ mansissent: Illi vero non aliter acquiescerent[F]. Quod parum etiam existimat fuisse Trifurcifer, quia grauiter quidem non autem lethaliter fuerint vulnerati. Nimirũ vim putat esse solum, si homines occidãtur, quasi vulnerationes, & direptiones, per iocum & impune fieri soleant, Iam vero conuitiator eloquentissimus indiginitatem rei nouo modo exaggerat, cum finxit speculatores, eos rei militaris fuisse, exercitatissimos

[F] quam et omnia diripuissent, et inermes insuper atrociter vulnerassent.

citatissimos, & inter eos pueros duos quatuordecim annorum. Equidem quam fuerint rei militaris expertes, qui vix ante biduum militare cœperant, nihil ad rem pertinet prædicare, latrocinandi certè rudes, non fuisse videntur, qui bipartito agmine in gallinas, credo ne in tenebris auolarent, aciem intulerunt. Quod si pueros inter eos fuisse credimus, primum non est absq; dedecore, pueros in militiam regiam adscribi, præsertim ad expeditionem maritimam, quæ viris etiam soleat esse formidolosa: deinde ac maximè pueri fuerint, tantum tamen facinus, quod nisi ab adulta malitia non proficiscitur, ætatis excusationem eò minus meretur, quo crudelius est imbellis sexus fœminei commiserationem illos non habuisse. Verum hæc calumniandi solum animo finguntur, æque vt etiam cœtera, quod in Regiæ Maiestatis vel Regni contemptum coronati ad supplicium ducti, quodque cœsorum capita palis infixa fuerint: hoc enim in vsitatum non est, & perinet ad alios à simili facinore deterrendos: illud condemnatis vltro coronas petentibus, cum nullius inuidia etiã à Lictore facile potuit indulgeri. Quemadmodum igitur in nullum Regiæ Maiestatis contemptum sed publicæ securitatis & iusticiæ tuendæ causa, quæ nullum nocentibus priuilegium vel impunitatem concedit, non regij milites, sed latrones nocturni ad pœnam pertracti sunt, quod & ipsa Regia Maiestas rem plenius edocta minime improbauit: ita nemo postea reprehendit vnquam præpter Castellanum Gedanensem, & eius consortes, qui soli suam auctoritatem, quam in speculatores vsurpabant, ad eius causæ cognitionem non adhibitam ægerrime ferebant, & Senatum ea de re grauissime ad Principem detulliſse dicebantur, vllané iusta de causa, viderint ipsi.

Nam in territorio ciuitatis, solius Senatus nec cuiusquam alterius, tam in criminalibus quam in ciuilibus causis vigore priuilegiorum, iurium publicorum & antiquissimorum consuetudinum est iurisdictio. Speculatores si quid extra ciuitatis districtum

52.17.

contra conductionis legem peccassent, vterentur iure suo Commissarij, nemo illos impediret, ipsi modo falcē in messem alienam non mitterent. Nec enim vnquam voluit Princeps per cōmissionē illam iurisdictioni ciuitatis derogari. Quinimo cū propter varias calamitates, à speculatoribus in ciuitatem conflatas, ex Gedanensi portu penitus eos remouisset, & longe à conspectu ciuitatis in sinum Pucensem relegasset, satis declaratum voluit, iurisdictionem eorum Commissariorum intra ciuitatem non exerceri. Nisi forte propterea videtur Instigatori derogatum illorum iurisdictioni, quod per magistratū non licuit, speculatoribus in ijs publicis, atq; adeo in ipsa ciuitate grassari, eadem licentia qua in mari, vbi nullo amicorum & hostium nocentium & innocentium discrimine vti quemq; nacti essent, impune rapere, furari, dispoliare, diripere & nullum insolentiæ fermè genus prætermittere cōsueuerūt. Certè si eiusmodi facinoribus impunitas etiam in publico sit proposita, quid obstat quo minus ea, quæ tunc in Pomeranos & Cassubios perpetrata sunt, etiā in alios similiter ad vrbem & ab vrbe cōmeantes, & in Polonos, vtiq; maximā sæpe vim pecuniarum hinc deportantes in vijs publicis admittantur? Quapropter non est quod animaduersio legittima in latrones nocturnos magistratui debeat vitio verti, quando publice potius interest, vt Regia Maiest. auctoritatē Reipub. suam accōmodet, aduersus eos ipsos, qui Patrocinium, fauorem aut impunitatem tam attrociter delinquentibus impartientes, maturari scelera potius, quam deleri se cupere manifestè ostendunt.

Tertium crimen adducitur longe violentissimum, quod Cōmissarij, à Regia Maiest. specialiter designati, in vrbem Gedanensem non solum non sint admissi, sed etiam multis & enormibus contumelijs & iniurijs & ipsi, & seruitores illorum excluſi. Cuius quidem rei rationes eum superiori libro abunde, & veræ sint expositæ, quibus nimirum adducti Gedanenses Cōmissariorum iurisdictionem primum agnoscere noluerint, deinde etiam ipsos vrbis

ingressu

ingressu prohibuerint, superuacaneum est hic pluribus ea repe-
tere. Quibus omnibus recte cognitis, & accurate perpensis quas re-
ferre parum videatur, ad alias calumniatoris istius diffamationes
quas in euulgato libello temerè cõgerit, partim male detortas par
tim vero turpiter excogitatas, & vt plurimũ in eius asinino capite
natas respondere: Tamen ne quid silentio præteritum, vel homini
periuro, & veritatis hosti, de maledicendi studio, quod vnum ab
adolescentia discere studuit, condonatum videatur, etiam cœtera
quæ ad exclusionem pertinere videbuntur, obiter saltem percur-
remus. Nam cum totus liber ex mendacijs & contumelijs consul-
tus sit, satius erit rei gestæ veritatem, vbi ratio postulauerit, paucis
opponere, quàm curiose refutandis omnibus quæ falso dicuntur,
diuturnum laborem frustra sumere.

Inprimis ergo quod adfertur de publicatione cõmissionis ad
eum quo Cõmissarij volebant modũ, denegata non quidem erant
nugæ, sed grauissimæ rationes, quas supra cõmemorauimus, cur
eo cõmissio saluis ciuitatis iuribus & libertatibus admitti non po-
terat. Et quanquam ad valuas & portas literæ de plano propositæ
non fuerint, tamẽ cũ de ijs omnes quib. inscriptæ erant certiores
fierent, satis superq; ad omnium quorum intererat notitiam dedu
ctæ videbãtur. Quis enim cuiusuis alterius publicationis erat effe-
ctús, cum ordines omnes iurisdictionem peregrinorum hominum
se repudiaturos decreuissent.

Quibus vero de causis sub aduentum commissariorum ex-
cubiæ sint habitæ, suo loco planum fiet, cum de milite conscripto
differendum erit. Interim à quouis sani cerebri facile potest intel-
ligi, cum non malis artibus tantum, & literis in fraudem compo-
sitis ciuitas peteretur, sed etiam aperta vi res tentaretur, cum &
ciuiles seditiones, & agrestiũ tumultus nonnulli sererent, incen-
dijs etiam seuire inciperent, an non oportuerit Magistratum in ea
rerum perturbatione excubias ponere, si modo Rempub. omni
ex parte saluam & illæsam optarent.

Quod autem de magnis tormentis in murum & vallum euectis calumniator dicatulus vt solet de suo aspergit, meræ sunt nugæ ad arguendam rebellionis speciem malitiose excogitatæ, nisi fortasis asinus ipse tam fuerit Lynceus, vt Elbingæ perspexerit tormenta, Gedano euehi, quæ Gedanensium in re præsenti nemo videre potuit: quæque tum temporis loco suo mota non fuerunt. Sed quid calumniatori facias, qui quod nemo factum sciat, ipse solus factum impudenter asseueret?

Neq; etiam Commissariorum seruitores, qui victualia coemptum veniebant, ab ingressu ciuitatis sunt prohibiti, nisi illa fortasis videtur esse prohibitio, quod ab ipsis & alijs omnibus ad portas peregrè venientibus exploratum fuit, antequam ingrederentur, quorum hominum vel vnde gentium essent, aut quid rerum gererent, nonnulli etiam qui aduentus sui rationes expeditas non haberent ab excubitoribus ad Magistratum deducti fuerunt, Cum enim non obscurum esset, quid in eo rerum statu nonnulli molirentur, coactus fuit Senatus interpellatione ciuium vt portas accuratius muniri, eos qui ingrederentur vel egrederentur diligentius obseruari iuberet.

Illud autem de contumelijosis in Legatos effusis conuitijs, & seruitoribus eorum publicè percussis figmentum, ideo vanum est, quod eius rei ne minimum quidem adfertur argumentum. Enimuero si quis in furto comprehensus seruitorem se Commissariorum dixerit, idcirco ne publicè in eum animaduerti non debuit, quod illorum familia domestica vt plurimum Furibus & Cynædis expletur? Mirum est porro cum Domini conuitijs laborarent, seruitores pulsarentur, quod isthoc fædum mancipium & omnis honoris prostibulum nemo tetigerit. Sed vt esse vult omnium horarum homo vertibilis, fortasse sciuit vti foro, noctes & dies ebrius erat, plerumque stertebat, nemini malo molestus. Meminerunt multi cum in monte Episcopali, quo Commissa-

missarij exclusi diuerterant, copia & vitio vini, quod Loitzij miserant extra sensum eleuatus, & ita somnolentus, in cellam subterraneam derisionis gratia deportatus fuisset, illum excitatum somno cum crapula deferbuisset, quia captiuum sese in tenebris existimabat, horrendo boatu exclamasse, perfidos, perfidos Gedanenses, qui se somno circumuentum incarcerassent. Quasi vero perfidia sit, perfidum nebulonem in latumas conijcere vel ad remos ablegare.

De proposito religionis innouandæ iam antea satis dictum est neq; certe Senatus in illud vulgus spargi curauerat, turbã monachorum & Iesuitarum in Prussiam afferri, sed vel ab aduersarijs ipsis rumor iste prouenit, ad magis magisque perturbandos, & terrendos hominum animos, sed fortassis reuera, non adeo de nihilo fuit, quandoquidem simile quiddam in ciuitate Elbingensi postea fuit attentatum. Ergo si quis antea de Iesuititis Elbingæ intrudendis suspitionem mouisset, dixisses, homo impurissime, magistratus id figmentum esse, monuisses populum, verbis scilicet te ciuem præstitisses, postea cum iam præ manu res esset, quid aliud miseris ciuibus, quos prodideras, solatij dabas, quam homine istos mundi Catharmata, quoniam Episcopus ita velit, ferendos esse? & tam publicè quam priuatim à verbis durioribus abstinendum? Religionem Christianam sectas papistarum, Iudæorum & Turcorum, eiusdem pensi faciendas? Quæ enim tibi sceleste religio est, qui ventris gratia religionem omnem penitus abiurasti? qui vt qualemcunq; dignitatis speciem inter cynædos gretineas, quod sanctum est profanum vocas, quod iniquum impium est, velut sacrosanctum adoras? incertus interim quis tandem Dæmon animæ istius lutulentæ sit compendium sectaturus. O monstrum hominis potius quàm homo, patriæ pestis, & verè flagellum, sacrorum proditor, libertatum publicarum euersor, publicæ quietis hostis. Et audes tu Gedanenses proclamare perfidos, rebelles, improbos, mendaces, cum horũ omnium scelerum

pag. 23

nullum sit, quo te non plus decies millies sciens volensq; turpissime contaminaueris.

Porro quod capite sequenti de schedula supplicationis Gedanensiũ sycophanta cõmentatur, in vniuersum longe aliter se habet, literas enim miserat Senatus iam inde ab initio harum cõmissorialiũ actionum, tam ad archiepiscopum Gnesnensem, quã cæteros Regni cõsiliarios plerosq; in quibus, sine vllius iniuria & contumelia scriptis, rationes consilij sui de Cõmissarijs non admissis exponebat. Eas maledicus cõuitiator, vt facilius ad iniuriã Maiest. Regiæ detorquere possit, non integrũ orationis contextum allegat sed mutilata saltem excerpit verba, quibus commode ad Gedanenses magistratus inuidiam ad institutum suum, vti sibi posse, videtur. Neq; vero mirum est, si etiam falsi crimine se astringat veterator, qui iamdudum sacrilegij scelere nobilitatus est, eoq; publice præconio laudatur, quod minxerit in patrios cineres & triste bidental mouerit incæstus. Sed audiamus ipsum literas eas cõmentantem, sed potius conspurcantem, vt facilius animi deprauati morbũ & odij virulentiam perspiciamus. Arguunt (inquit) Gedanenses Regiam Maiest. quod, dando tam sanctam saluberrimãq; ac plene necessariam cõmissionem, fecerit rem nouã, insolitam, indignam, inauditã ad Rempub statũ mutandũ compositã iuribus, priuilegijs, pactis, cõstitutionibus aduersantẽ &cætera quæ sequuntur. Mentitur nebulo, nihil enim harum rerũ vnquam in Regiam Maiest. dictum fuit: sed Gedanenses cõsiderata cõmissionis forma, & absoluta Delegatorum potestate conqueruntur, rem nouã priuilegijs, & iuribus contrariã, aduersus leges publicas, & tranquillitatem ciuiũ introduci, non à Regia Maiest. sed à maleuolis delatoribus, qui odio quietis publicæ, magistratus inuidia, & suarũ cupiditatum immodestia, cõmissionem eam sinistra informatione nõ legitime satis extorserint, ad euertendam eam Rempub, politicas ordinationes labefactandas, & tranquillitatem ciuilem conturbandam: non repræhenditur pientissimum Principis in emendanda Repub. propositum, sed delatorum machinationes in diui-

nis & humanis sub auctoritatis Regiæ prætextu permiscendis.

De qua quidem cõmissione, quanquam abunde iam dictum est, tamen cũ adeo sit occupatus in calũniando Furcifer, vt etiam terrarum Prussiæ sanctissimũ priuilegium, quod maiores nostri nõ facultatibus solum, sed etiam multo sanguine pepererant, illotis manibus attrectare nõ erubescat, paucis etiã hoc attingendum est, ne imperitis stultus iste cõmentator in allegãdis iuribus publicis tenebris offundat. Priuilegiũ istud disertis verbis ita scriptum est: Omnes causas notabiles, quæ terras Prussiæ concernunt, cum consilio consiliariorũ terrarum prædictarũ tractabimus, terminabimus & definiemus. Nam cœtera quæ de gradibus, terminis & limitibus ex eodem priuilegio calumniator allegat, nihil ad rem præsentem pertinent, neq; vnquã in hac causa à Gedanensibus adducta fuerunt, nisi quod ipse fortasis dormiens, aut bene potus ad lucernã, vt solet, cõmentus est. Vigore igitur huius capitis Gedanenses conquerebantur cõmissionis istius abusum in derogatione priuilegij cõmunis editũ esse, nimirũ incõsultis, ac plane nescijs terrarũ Prussiæ cõsiliarijs. Etenim quæ maior, aut magis notabilis causa poterat excogitari, quam quæ ista Cõmissione amplissima continebatur? In qua & status publici reformatio, & ordinarij magistratus auctoritas, & legum publicarum mutatio, & iudiciorũ ordo, & multorum bonorum virorum dignitas, fama, existimatio, vita, fortunæq; vertebantur? Et insulsus noster interpres nescio quid distinguit, de tota terra, & aliqua parte eiusdem, quasi vero quod priuilegium vniuersæ prouintiæ concessum est, non etiam omnes eius partes concernat, & quasi non duæ Regiæ ciuitates maximæ, præcipuæ Prussiæ membra, isthoc eodem Priuilegio censeantur, quod incolarum vnusquisque recte suoque iure vsurpet. Nec enim priuilegium illud montibus siluis, fluminibus, agris vrbium & oppidorum muris: sed prælatis, baronibus, nobilibus, ciuibus, ac incolis Prussiæ terrarum, vti verba sonant, singulis & vniuersis concessum est. Ac sycophanta propius impu-

impudentiam suam agnoscat Regia Maiestas hanc ipsam cum tanquam maxime arduam, insignem & notabilem in eo conuentu Elbingensi, qui statim post exclusionem Commissariorum habitus est, Prussiæ consiliarijs per Oratorem suum proposuit, vt in ijs ad quos eam rem magnopere petinere iudicaret, certius de rebus omnibus cognoscerent. Quod si ab initio Regiæ Maiestati per nonnullos licuisset, eam integram ad Prussiæ Consiliarios referre, tam magnificis & præsumptuosis Commissariorum imperijs, haud sane multum opus fuisset. Erubescat igitur perfidissimus patriarum legum proditor, tam temerariè priuilegium sacrosanctum ad calumnioſas interpretationes suas vsurpare, nisi etiam asinnsiste cincinatus adhuc verborum significationes docendus sit, quam ad rem non verbis, sed fustibus opus esse video.

Ridiculum vero nimis se præbet simia, turpissima bestia, dum ait hoc casu Gedanenses allegare non posse, clausulam eius priuilegij, quoniam Diuus Sigismundus plane nouas leges Gedanensibns postea præscripserit. Quasi vero eam ob causam sit à communi terrarum priuilegio discessum, cum leges istæ municipales priuilegio nec repugnent nec derogent, imo de alijs causis scriptæ sint, quæ priuilegio non cotinentur. Habent singula municipia Prussiæ, singuli districtus, singulæ ciuitates, & oppida, peculiares suas leges, constitutiones, iura, plebiscita longe quidem inter se diuersa, sed nihilominus communi terrarum priuilegio censentur, & vtuntur omnes. Vnde conuitiator impurissimus iterum erubescat, dum particulares illas leges admodum malitioſe conatur eò detorquere, quasi per eas communi priuilegio derogatũ sit, Impudenter hic etiam, sed suo more Syndicum Gedanensem virum de ista ciuitate præclarius, quam alij de propria patria promeritum, in conuersione nominis diridiculo habet, dignus ipse, qui insulsis dicterijs suis omnibus deridendus propinetur. De quo quidem viro nihil nunc dicam aliud, quam sycophan-

cophantam istum Fridspaldum (Frideualdum volui dicere) non esse dignum, qui corrigiam calciamentorum illius soluat.

Porro cum veretur, inquit, criminari Maiest. Regiam, quod non licuerit illi Cõmissarios eligere extra regni conuentum non præsentibus omnibus, tam Prussiæ terrarum, quam regni consiliarijs. Allegat hæc verba parum dextrè, vt & cœtera. Non enim reprehendunt Gedanenses Maiest. Regiam, quod Cõmissarios extra regni conuentionem, non omnibus consiliarijs præsentibus deputauerit, sed conqueruntur, tam absolutam, augustam, ac plane regiam potestatem nouo modo & exemplo concessam, quæ si maxime subsistere debuit, omnino necessum erat in regni conuentione, consentientibus etiam Prussiæ consiliarijs dari: quandoquidem publici status, legum, priuilegiorum, constitutionum, magistratuum, iudiciorum rationes, mutationes, emendationes, abrogationes in ea versabantur, de quibus nemo vnquam sereniſsimorum Regum absq; communi consilio noui quippiam statuere voluit. Neq; vero Gedanenses ignorabant, quibus flagitantibus, quibus suadentibus isthæc cõmissio extorta fuerat, & aliud longe quàm Reipub. emendatio quærebatur. Cæterum allegat Instigator ad propositum suum, satis absurde vicesimum septimum caput ex legibus Gedanensibus, quod hisce verbis scriptum est. Quod si futuris temporibus Senatus communitati suspectus foret, quod ciuitatis censibus atq; reditibus malè præesset, atq; si necessitas postulauerit, tunc nos Cõmissarios ad id deputabimus. Ex quibus verbis luce meridiana clarius appareret, legem hãc specialem esse in eum saltem casum conceptam, quo senatus Communitati de prouentibus male administratis suspectus fuerit, tunc ad id solum Cõmissarij deputabuntur, neq; tamen simpliciter vel statim, ad nudam suspitionem sed ita demum, si iusta causa erit, & vt Lex ait, si necessitas postulauerit. Nec enim ad vnius vel alterius tumultuarij ciuis Frideualdi similium, temerariam delationem mittentur, sed cum necessum

fuerit, Quando igitur cõmunitas Gedanensis Senatum suspectum arguit, vel quis ciuium rationes reddi postulauit, vt Commissarijs negotium dare necessum fuerit? Quid autem hæc lex de reddendis rationibus simile habet cum absolutissima commissione, quæ reformationem & mutationem status ciuilis spectabat, quæ ex priuilegij præscripto sine consensu consiliariorum Prussiæ instituí non debuit? Ex quo apparet etiam hoc falso per instigatorem allegari, cum secundum regulam, quæ lex non dicit, nec mendax Instigator dicere debet, quin iterum atque iterum erubescat, ore spurcissimo sacras leges & sanctiones profanare.

Arguunt præterea (inquit legum interpres) Regiam Maiestatem iniquitatis, quod ad paucorum saltem, & non ad omnium ciuium querelas Legatos Dantiscum miserit. Mera & isthæc calumnia, nunquàm id Gedanenses prætenderunt quod non omnium ciuiũ querelæ ad Cõmissionem illam accessissent, quàm enim istud absurdum esset? Sed hoc questi sunt, quod pauci non nulli, non ciues sed ciuitatis inimici perpetui maleuolis & sinistris delationibus, magistratum apud Principem odiose traduxissent, calumnijs oppressissent, & tandem malæ administrationis prætextu cõmissionem eam extorsissent, posthabitis iustissimis, quæ non semel expositæ sunt, magistratus excusationibus. Nec enim vllus bonorũ ciuium repertus est, qui ita de magistratu conquereretur, & propterea Reipub. statum euerti vellet. Neq; vnquam Senatus rationem officij reddere, nec cuiquam qui se iniuria læsum existimaret, corã principe suo respondere detrectauit id quod lex Diui Sigismundi per Instigatorem adducta requirit. Nam quod Imperatoris Iustiniani constitutionem allegat, parũ facit ad propositũ. Loquitur enim illa de eo qui famosum libellum scripserit, nomẽq; suum professus fuerit, ac scriptorum fidẽ fecerit, quod certe Instigator in calumniosissimo scripto suo, minime vnquàm præstare poterit. Quod si quæ iusta fuit causa, tantopere

de ma-

de magistratu conquerendi, cur delator non est nomen professus? Cur non constitit, qua de re quis accusaretur? Cur non fidem fecit, delationis suæ? Cur ipsi tandem Commissarij priusquam illi, qui conquesti fuerant, apparebant? Vbi autem illi, sunt cives, qui vigore allegati iurisiurandi quidquam ad Principem detulerunt, quod illius terris & subditis obesset? Nisi quisquam Frideualdi consuetudine, qui calumnias indiscretè quasuis ex triuio solet arripere, quem pium vel bonum virum vel frugi ciuem intelligere possit. Erubescat igitur denuo mendax Instigator, eos tam improbe diffamare, qui millies mori malint, quàm istius nebulonis similes esse, qui malignis delationibus non patriam solum pessime conturbauit, sed Gedanensem etiã ciuitatẽ ad eandem redigere calamitatem conatus est. Illa autem quæ sequitur multo grauior est calumnia, quod Gedanenses sponte confessos dicit, nullius ciuis specialem querelam, quantumuis veram & necessariam nisi de consensu Centumuirorum audiendam esse, quod vti per se impudentissimum est mendacium, ita perperam admodum stupidum argumentum inde colligit, Gedanenses defectionem moliri.

Ex eodem criminationis genere sunt illa quæ in Centumuiros satis contumelioſe effudit, quod non sagacissimi nec doctissimi, vel rerũ expertissimi, sed imperiti iuris, & historiarũ ignorantes neq; arduarum rerũ expertes, & vt plurimũ senatoribus propinquitate coniũcti, in eum ordinem legantur. Vtinã semper taliũ, quales regrit, virorũ esset copia, in ea ciuitate, quæ negotiatione nõ literis creuit, nemo certe est, qui non sũmopere istud exoptet. Verũ & si nõ omnes sint ea doctrina & rerũ cognitione præditi, qua est Instigator, siquidem is Rempub. etiam Argentinensem vidit, in aula Cæsarea stabuli fuit atriensis, tamen ausim sponsionẽ facere, multos inter centumuiros esse probiores, meliores prudentiores, & amantiores patriæ insanissimo isto Frideualdo, qui sit vnus

omnium mortalium sine omni dubitatione deterrimus, qui præ nimia stoliditate, ita plane intumuit, vt in summa stultitia etiam egregie sibi sapere videatur. Equidem credo mactatam suem, multo interdum plus sapere, quam stupidum istum nugatorem elephanti corio circumtectum. Deinde omnes eiusmodi artes in ijs reprehendi solent, qui cum eas professi fuerint, hominum expectationi satisfacere nequeunt non ijs qui abfuisse ab his studijs se confitentur, virtus, probitas, integritas, in eligendo Centumuiro, non linguæ volubilitas, non ars, non iuris scientia requiri solent. Deliguntur illi, quorum fides Reipub. perspecta est, in quibus, si quæ præterea ars est vel scientia, facile patitur ciuitas, sin minus virtute illorum, & innocentia contenta est. Tu vero doctissime, sagacissime, & rerum expertissime, atq; etiam iuris (si dijs placet) & historiarū (melius fabularum dixisses) scientissime, nec non rerū arduarum, in verrendis cloacis scilicet expertissime, non aliter hoc edoctus es, quod ille sapientissimus, & verus artium censor dixit, Malo virum bonum absq; doctrina, quàm doctum malitiosum. Et quod Scœuola ait, plurima se posse exempla proferre, eloquentissimorum hominum qui scientia tam præclara abutentes Rempub. dissipauerint. Sed quid asinum tantum doctis viris conferimus. Tu ipse si probus, quam petulans esse malles, si dicere potius, quam latrare didicisses, nunquam linguam venalem calamitati, & luctui publico præbuisses, patriamq; maiori cum laude defenderes, quàm accusares. Quod autem eos eligi potissimum Centumuiros criminatur, qui iurium regalium diminutioni sint studiosissimi, cum interim fideles ciues, Regij iuris obseruantes, loco moueantur cum ignominia, & electi ad iurandum compellantur, quod omnia arcana consilia, quæ plerunq; in iurium regalium diminutionem destinata sunt, (quasi hæc ita se habeant vel Clefeldus hoc ipsum confessus fuerit) cæteris ciuibus communicare non velint, ne scilicet eorum rebellionis, defectionisq; studium argui possit; Quanquam hæ

calum-

calumniæ sint admodum enormes, & à viris bonis alienissimæ: tamen cum ne vnicum quidem periurissimus calumniator horum omnium verisimile documentum, vel suspitiones saltem argumentum proferat, non est in quo diluendo multum laboremus, Quin potius manifeste veritati credamus, cum documenta quam plurima in omnium oculis versentur, quod per Centumuiros plurima ad stabiliendam Principis Maiestatem consulta fuerint, quodq; nemo vnquam eo ordine, nisi senectutis, valetudinis, vel alicuius facinoris causa motus sit, nemo vero vnquam in consilium centumuirale peculiariter iurauerit, nec alio centumuiri, quàm cœteri ciues sacramento teneantur.

Quæ porro de actionibus Cõmissariorum Elbingæ designatis, in renouendis triginta duobus viris subijcit, de eo nunc nihil aliud dicimus quàm q̃d ea ipsa lex, quã adducit, non videtur eam dare Cõmissarijs potestatem, vt publicas leges pro suo arbitrio mutare potuerint. Diuus enim Sigismundus hanc potestatem expresse sibi suisq; successoribus Poloniæ Regibus excipit. Quod statutum cum strictum sit præsertim de Principis potestate disponens, male ad delegatos in alijs causis extenditur, cum nihil expresse in ipso delegationis mandato ea de re cautum fuerit.

Quod autem legem illam nouam Gedanensibus non placuisse dicit, ita se habet. In conuentu Elbingensi qui paulo post secutus est, triginta illi duo ciues Elbingenses, qui antea cõmunitatis personã gesserãt, nominatim Prussiæ consiliarijs supplicantes conquesti sunt, quod nouo quodam more contra patrias leges & constitutiones, præter meritum suum, absque vlla causæ cognitione, loco suo moti fuissent, non tantum suo & posterorum summo dedecore, sed etiam ea iam apud vicinos passim excitata suspitione & infamia, quasi iure & merito suo, propter malè præstitam Reipub. fidem, ordine deiecti fuissent. Ea res in

consilium perlata, cui maiores etiam Prussiæ ciuitates assident, cum alijs plerisq;, tum Gedanensibus etiam maxime displicuit, nec in æternũ vlli iure bono probari poterit. Neq; hoc solum illi triginta duo viri conquesti sunt, sed eodem etiam tempore tota cõmunitas Elbingensis, & contubernia omnia, ciues omnes publico scripto sub manibus & sigillis suis Prussiæ consilarijs exhibito, publice testati sunt, non suo consensu, suouè mandato factum esse, vt Magistratus per instigatorẽ adeo turpiter, & calumniose in crimen vocaretur, nec vnquàm se de mala administratione Senatum arguisse. Qua igitur fiducia sceleratissimus delator tantum facinus in patriam & magistratus à Deo sibi constitutos, colore mandati & potestatis à ciuibus sibi creditæ perpetrauerit, ipsemet viderit. Quod autem quisquam fidelium ciuium à Magistratu tam seuere sit exterritus, vel famosis libellis traductus, Gedani quidem non constat. Verum quod Instigator se patriæ proditorem vulgo nuncupari queritur, esto sane, nihil hoc ad nos, nec quod publica fama affirmat, nostrum est magnopere negare.

Deinde quod magistratus Elbingensem & Gedanensem, Prutenos Reges per contumeliam appellat, facit suo more, vt etiam verba fingat, non solum crimina, neq; mirum qui tot Reges habeat, vt etiam Cõmissarios ipsos Elbingæ tanquàm summus Imperator hoc nomine donauerit. Cum enim grauati Elbingenses immoderato Cõmissariorum imperio ad Regem prouocassent, ibi cum impudentissimus rabula, sublimitatis regiæ paruo habitu respectu (digito cõmissarios designans) Ecce hi sunt reges vestri, proclamare non sit veritus. In Repub. quidem qui summum locũ tenent consules sunt non Reges. Nisi forte regnũ Instigatori videtur, ita viuere, vt non modo homini nemini improbo, sed ne cupiditati quidem vlli seruias, contemnere libidines, in senatu libere sentire, populi vtilitati magis consulere, quam proprijs cõmodis, pacis & tranquillitatis publice rationes pluris facere, quam nonnullorum

libidines

libidines, nemini iniusta, iniqua, seditiosa suadenti vel postulanti obsecundare, prauis consilijs & machinationibus obsistere, si hoc putat esse regium, tales reges Respub. libenter agnoscit. Sin aliquam consulum iniustam potentiam, vim, iniquum dominatum, aut aliquod aliud factum arrogans vel superbum arguit, cur non id profert potius quam verbi inuidiam contumeliamq; dicti, Etenim cum in magistratu positi assiduo pro bene regenda & administranda Repub. labores, curas, solicitudines perferant, atq; inde non fructum laboris, neque præmium benefactorum expectent, sed pro opera fideliter præstita delationes, contumelias, accusationes, periculum honoris, famæ, vitæ, fortunarum pertimescant, tamen hoc regnum appellabitur, cuius vicarius qui velit esse, vix quisquam tandem inuenietur?

Criminatur deinceps Georgium Clefeldum Gedanensem præconsulem, de consilio quodã ad Elbingenses perscripto, quod scilicet in causa criminali nõ sit prouocationi concedendũ, ob quod idem consilium Elbingæ eundem lœsæ Maiest. reum dixerat. Certum est, autem quod ea consuetudo, illud ius per terras Prussiæ semper obseruato fuit, ab eo vsq; tempore, quo Pruteni ad Poloniæ regnum accesserunt, nec vllum extat exemplum, quo probari possit, recte prouocatum fuisse. Ac si forte semel aliter actum esset, an hoc ideo cõsilium ad crimen læsæ Maiest. referri debeat, quis non intelligit? Etenim explorati iuris est, ex cõsilio nisi fraudulento neminem teneri: scriptum autem non est, consiliũ à Clefeldo ratione officij & professionis, tanquàm à Icto, non ad exteros homines, sed ad propinquos Patriæ suæ Præsides, requirentes sententiam eius, non publicè sed priuatim, absq; vllo dolo malo, vel animo hostili, sine quo crimen lœsæ Maiest. minime cõmittitur. Et sane fuit in potestate Magistratus Elbingensis, sequi consilium vel negligere, & certe tum temporis in ea causa secuti non sunt. Appellationi vero Instigatoris cur non detulerint, quaue de causa eum proscripserint, & cœtera, quæ hoc loco narrat, non est instituti nostri æstimare.

Cœterum

Cæterum hoc in Clefeldi negotio animaduertendum est, quod consilium istud ante annos octo vel amplius scriptum fuerat, in quo si sciuit Instigator Regiam Maiest. lœdi, nisi criminis socium se præbere voluit, pro officio fidelis subditi statim id deferri debuit, nec in hanc demum occasionem, post tot annorum decursum calumniandi gratia prorogare. Quod cum non fecerit, & tam diu rem celauerit, semetipsum perfidiæ & infidelitatis crimine volentem contaminauit, Quinimo quod magis reprehendendum est, tunc temporis hæc ipsa consilia, cum in suam rem scripta intellexisset, magnifaciebat, & cum in Elbingensi magistratu grauiter expostulabat, quod Clefeldi sententiam in iudicando non essent secuti. Proinde apud Palatinum Marienburgensem, quem sciebat Clefeldo amicissimum omnem mouit lapidem, vt eorum consiliorum exemplum, vel saltem rerum summam nanciscì posset quo turpius nunc illa cõtra fidem concrediũ circumfert, & euulgat, Iniquum est profecto ea quæ inter subditos vltro citroque vel verbis vel scriptis, absque dolo & malis machinationibus aguntur, & mutuo communicantur, præsertim in iuris quæstionibus, discutiendis, absque vlla cogitatione prosperitatis & sublimitatis regiæ lædendis, ad crimen lœsæ Maiest. continuo detorqueri, cum in libera Republica, liberæ sententiæ, pro patria & libertate dici atq; proferri debeant. Si toties enim in crimen vocandi sunt, qui pro iure & contra ius principale mutuo conferrunt, vel disputant, vix vllus innocens, qui aliquas in Republica partes cõmendatas habet, existimabitur. Possent hic multa alia referri, quæ per Instigatorem in hac causa perperam admissa sunt, quod præsertim in hac ipsa actione, quam cum aduersarijs potentibus habebat, à Clefeldo nõ vulgaribus beneficijs affectus fuerit, adeo vt eum patronum summum, atque patris loco sibi colendum sæpe professus sit, sed verecundiæ gratia cætera supersedere, & Dei iusto iudicio tam detestabilem ingratitudinem commendare malumus. Nam quid aduersus patronum

bene

bene meritum non auderet homo omnium ingratiſsimus, qui patrem ſua ſe manu interfecturum palàm profiteri non erubuerit?

Quod autem de propria Gedanenſium confeſsione ſubijcit, qua profitenturolim, etiam miſſos eſſe Cõmiſſarios, id non ita ſimpliciter & nude ſcriptum erat. Allegat enim verba literarum Gedanenſium eo modo, quo pater eius, qui mendax eſt ab initio, aduerſus Chriſtum ſcripturas allegabat, nimirum quæ ſuo propoſito non inſeruirent, ea relinquebat. Sic enim Gedanenſes ſcribunt, & hæc eſt literarum illarum ſententia, ne ſit neceſſe integram pagellam verbòtenus inſerere: Etſi negari haud poteſt, etiã olim à Diuis Poloniæ Regibus miſſos eſſe Cõmiſſarios, nulli tamẽ vnquam extiterunt, qui cum tam abſoluta, & indefinita poteſtate Pruſsiam ingreſsi ſint, ſed vel inquirendi, vel ad Principem referendi gratia miſſos eſſe conſtat, quod plenius in ſuperiori libro, & ijsdem pene, ſed pluribus, verbis recenſetur. Noſter vero falſarius confeſsionem eam, quod aliquando miſsi ſint Cõmiſſarij tanquàm arcem cauſæ repente arripit, modum autem, qui per contrarium ſenſum infertur, plane ſilentio prætermittit.

Quod porro de numero Cõmiſſariorum garrit calumniator, de eo nunquam à Gedanenſibus mota fuit quæſtio. Nihil enim intereſt, vtrum plures vel pauciores fuerint, quorum iurisdictionem & imperium optimo iure detrectabant, Exempla vero Commiſsionum Italicæ & Regiomontanæ, plane nunc hac noſtra nihil habent ſimile, ſic vt vere illam ſimilitudinem claudicare, dici poſſit. Eiuſdem illa ſunt generis, quæ interim hinc inde de vi, & plenitudine iſtius Cõmiſsionis multis ſubinde calumnijs additis & confictis, magnis & tragicis exclamationibus aſpergit, Nihil enim in ijs eſt, quod non iam antea ſatis ſit ſuperque confutatum.

De actionibus Elbingenſibus cur eas Gedanenſes improbauerint ſicut latius expoſitũ eſt, atq; ita vere, vt nullo colore vel prætextu mendaciſsimus calumniator cuiquam bono ſit aliter per-

perſuaſurus, quas eas actiones contra iura & priuilegia ſuſceptas, modum q; contra Præconſules, & largũ nimis & ſatis ambitioſum fuiſſe, longeq; metas ordinarij iuris exceſiſſe. Quod autem multis euidẽtiſsimis criminibus Præconſules Elbingenſes cõuictos fuiſſe ſcribit, nimirũ vt Regum ſuorũ auctoritatem quoquo modo tueatur, quamuis multa poſsint in contrariũ veriora dici: tamẽ quoniã Gedanenſium ſaltem defenſio à nobis ſuſcepta eſt, Elbingenſibus ipſis ſuas partes relinquimus, Nimirum autem argute veterator ex eo, quod Gedanenſes Cõmiſſariorum actiones improbarunt, colligit ipſos Elbingenſiũ nũcijs conſiliũ dediſſe, ne legatis obuiã irent, quod ipſe cũ aſſeclis ſuis fecerat. Nimis vero velim vidiſſe candidatũ incedentem maſtigiã, cum ſuæ farinæ quisquilijs, quos etiã honeſtos ciues appellat. Item vt in portis excubias ponerent, neúe ſupremo Legato hoſpitium in prætorio concederent, quid enim cõmune habebat Epiſcopus cum curia? vt claues portarum à ciuibus quibus eæ concreditæ fuiſſent, repeterent ad recipiendos noctu Gedanenſium milites & alia. De quibus quid multa attinet dicere, cum ea nemo Gedanenſium, ne cogitatione quidem attigerit, nec ab alio fermè, quam calumnioſiſsimo nebulone confingi potuerint? Et arbitratur etiam Carnifex pertorturam de ijs inquiri oportere, quo nemo vnquam omnibus cruciatibus & tormentis natus fuit dignior.

Arguunt, inquit, porro rebelles Gedanenſes Dominos legatos iniquitatis, quod Georgium Clefeldum contra terrarũ Pruſsiæ conſtitutionũ tenorem ex Gedano Elbingam, quaſi ad forum incompetens euocarint, Et bene arguunt Gedanenſes, abſq; vlla rebellionis macula. Nec enim ideo mittũtur à Principe legati, vt Leges & Conſtitutiones publicas negligant, aut euertant, ſed vt legibus ſaluis, ſalua ſit Principis apud ſubditos auctoritas. At qui terrarum conſtitutiones, & pacta pacis perpetuæ diſertis verbis ſanciunt, quod vnusquiſq; in iudicio ſuo ordinario iure conueniri debeat,

beat. Et vt hoc maxime in causa læsæ Maiestatis locum non habeat, id enim semper est illis diuerticulum, cum ab æquo bonoque secedunt, prius certè demonstrare liquidis probationibus oportuit crimen aduersus Maiestatem cõmissum esse, quod ne minimo quidẽ adhuc argumento malignus Instigator docuit. Nam quod de mandato alibi scripto, & domo alibi ædificata adfert, non plus ad rem facit, quàm Herculis cothurni ad pedem infantis. Quid autẽ opus erat Elbingam euocare, cum ipsi Gedanum paulo post venturi essent? Enimuero cum vniuersa ciuitas Gedanensis horum Commissariorum iurisdictionem ex supra dictis legitimis rationibus detrectarat, qua ratione quisquam seorsim euocari potuit? Ipsa vero citatio per se illegitima erat, non ideo solum, quod ab incompetentibus iudicibus edita esset: Sed etiam quod neque forma constaret, neque stylus, vt moris & curæ, est obseruatus fuisset, Nam neque fides illa Commissionis facta est, quam citationi inserere necessum erat, neque Maiestatis Regiæ mandatum vllum ad Clefeldum extabat, qui tum Maiest. eius vicem gerebat, cum vnus quisq; corã delegatis, non propter illorum auctoritatem, sed propter Principis mandatũ comparere teneatur, neq; liceat delatori per nudam & simplicẽ assertionem, absq; certa scientia Principis, absq; vllo speciali mandato officiales & administros Regios, tam enormis criminis reos facere. Huc accedunt pleriq; alij defectus eius citationis, nimirum quod intra dies quinque citatus se extra forum suum in tam graui crimine sistere iubebatur, contra morem omnium iudiciorum: deinde quod ne quidem exprimebatur, qua de re accusaretur, quæ nam vel qualia essent illa acta vel scripta, quibus crimen admissum diceretur, & quod præcipuum est, quod ratione quorundam scriptorum citatus, & postea causa ad Principem remissa, de infinitis alijs criminibus accusabatur, quorum in ea citatione nulla fiebat mentio, cum alioqui citatio ad instar libelli summam actionis continere debeat, vt reus ad defensionem instructus

ſtructus animo deliberato accedere poſsit. Et quanquam ex rationibus prædictis plane nihil tenebatur Clefeldus ad comparendum, tamen in honorem Cõmiſſariorum procuratores miſit, qui legitimas ſuas exceptiones proponerent: Verum tanta fuit eius iudicij feſtinatio, vt cum horam octauam matutinam aſsignaſſent, & procuratores, traiectu fluminum impediti, paulo tardius adeſſent, nihilominus proceſſerint, cum Reo dies illa tota, vel ſaltem ante meridianum tempus aut vel minimum tota illa hora ad ſiſtendum procuratorem debuit eſſe integra. Ex quo ſatis appareret an Gedanenſes non habuerint iuſtam cauſam, citationẽ eam arguendi. Quid enim indignius eſſe poterit, quàm eos qui magiſtratum gerunt, qui cura perpetua gubernandæ Reipub. occupati ſunt, ad leuiſsimi hominis ſimplicem delationem crimine non explorato, nec rationibus vllis comprobatis, in alienum forum euocari, & cum manifeſta ſuggillatione honoris, famæ, & exiſtimationis palam traduci.

Vltima criminatio quam ex Gedanenſium literis excerpit, quod eam cõmiſsionem in derogationem Regalis Maieſtatis, non legitimè ſatis extortã ſcripſerint, in ſuperioribus ita liqdo confutata eſt, vt pluribus hic verbis minime indigeat, Nam quod affinis Clefeldi dixiſſe fertur, Cõmiſſarios Regni ſigillum in Pruſsia ſecum habuiſſe, vnde illis perquam facile fuerit, quot qualiaq; vellent mandata cudere, meræ ſunt fortaſsis nugæ, veruntamen quod literæ & mandata Pegaſo vel Salaminia nauẽ velocius ex aula ſubinde ad quamuis rei præſentis tractationem accommodata aduolarent, multis cauſam præbuit nonnihil ſuſpicandi.

Ex ijs igitur, quæ hactenus dicta ſunt, abunde cõſtat, nihil à Gedanenſibus hac in parte temerè nhil malitioſè nihil ſceleratè, nihil quod perfidiæ, vel rebellionis ſpeciẽ habeat, cõmiſſum fuiſſe, quod ſceleratus calũniator docere fruſtra nititur, ſed multo magis illos conſiliorũ, & actionũ ſuarũ rationes probabiles, iuſtas, legitimas &

neceſſa-

neceſſarias habuiſſe, integra erga Maieſtatem Regiam fide, quam reipſa ſæpius, ac maleuoli ipſi obtrectatores præſtiterũt, ipſamq; his conſilijs ciuitatem, quam improbi ſectores & quadruplatores libidini ſuæ prædæq; expoſitam ſperabant Regno Poloniæ incolumen conſeruaſſe, ac in fide & officio retinuiſſe. Tantum abeſt, vt Regia Maieſtas & inclyti Conſiliarij in accuſatione tam temeraria & ex meris calumnijs compoſita, execrandis & ſanguinarijs Inſtigatoris carnificis clamoribus, aures præbere debuerint, de capitis amputandis, de vrbe euertenda, de priuilegijs adimendis, boniſq; confiſcandis. Quandoquidem ea ciuitas fideliſsimis ac promptiſsimis ſuis obſequijs erga Regiam Maieſt. & ſereniſsimos anteceſſores abunde ſæpe declaratis, aliud longe ſit cõmerita. Quæ cum adeo Regiæ Maieſtatis & omnium bonorum animis infixa, & literarum monumentis publicè munita ſint, vt nulla calumnia poſsint euelli, verbis illa prædicare ſuperuacuum eſt: Quin potius ad tutandam Reipub. tranquillitatem, & conſeruandam ab iniurijs & calumnijs fidelium ſubditorum famam, & exiſtimationem Regia Maieſtas i ſeditioſiſsimum calumniatorem eo ſupplicio rectius affeciſſet, quo magis à turbanda Repub. & malitioſe traducendis magiſtratibus, ac bonis viris diffamandis, vnius nebulonis exemplo cœteri diſcerent abſtinere: Eſt enim publice vtile, vt homines ſeditioſi penitus extirpentur.

Ac quia mirum in modum carnifex ſibi placet, in allegandis pœnarum exemplis aduerſus rebelles ciuitates, vti alioqui fabularum (hiſtoriarum volui dicere) pleniſsimus eſt: mihi quoque libet allegare nonnulla tam hiſtoriarum exempla, quam legum decreta in calumniatores edita, vt ipſemet ineptus Inſtigator, quo premio dignus ſit, non ignoret: Veſpaſianus & Titus laudatiſsimi Imperatores adeo inſectati, & odio proſecuti ſunt delatores, vt ſolut publico exitio deſtinatos, vt flagellis cœſos per Amphitheatri arenam ſpectandos traduci iuberent, vt pœnis coerciti ab in

noxijs deferendis abstinerent. Domitianus vero, alioquin inter imperij monstra cõnumeratus, hac solum in re, sapere visus est, quod delatores contempserit, atq; vrbe exegerit, hanc vocem diligenter vsurpans. Delatores qui non castigat, irritat. Quales igitur æstimandi sunt ij, quos etiã sceleſtus Imperator odio habuit, nec ferre vllo modo potuit? Antonini Pij maior etiam & laudabilior fuit seueritas, qui delatores, si non probarent, infames nihilominus dimisit. Qui non dissimilis fuit. Opilius Macrinius Imperator, qui delatores vndiq; conquisitos pœnis & damno afficiebat. Non enim temere illis credendũ est, qui natura ita cõparati sunt, vt dum innocentes accusant, sibi ipsis applausum & Principum gratiam consectentur. Ac vt nominatim quosdam, ex illo hominum genere omnium pessimo proferamus, Pantation quidam fuit infamis calumniator, qui cum pro more haberet, eodem plane more, quo noster Asinus Frideualdus, bonos viros criminari, & tam fœdo quæstu rem quærere, tandem capitis pœnam dedit, à quo prouerbium etiam originem suam habere cœpit, Pantacione calumnioſior. Quod si in quenq; alium in hunc certe instigatorem, vel calumniarum potius Institorem optime quadrat, qui consulatum etiam istis artibus acquiri posse persuasum sibi habuit. Atq; hic non multum dissimilis est Zoilo illo Aphipolitano, Rhetori homini maledicendi studiosissimo, quẽ propterea canem Rhetoricũ appellarunt, qui interrogatus cur bonis viris male loqueretur? respondit quoniam cum male facere velim aliter non possum: Is tandem à Ptolomæo Philadelpho cruci affixus est. Frideualdus quanquam isthoc Rhetore longe indoctior, cum tamẽ simili professione turpissimum rabulam agat, eodem supplicij genere longe est dignissimus, Nœuium etiam poetam propter nimiam in scribendo maledicentiam in Metellos, Romæ triumuiri vinculis & carceri manciparunt: Similiter quoq; Staterius quidam Ciceronis tempore ob conuitiosa verba, & mordaculos sermones rei capitalis, iure damnatus est, Hæc exempla longe rectius calumni-

Vide Erasmi adagia pag. m. 113.

atorũ

atori Frideualdo conueniunt, quàm quæ ad rebellionis similitudinem in duas optime de Regno Poloniæ meritas ciuitates ipse adducit. Ac ne exemplis potius quàm legibus agamus, ita manifestè constituunt Imperatores: Quisquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij. Neq; est, quod Instigator ineptus ideo sibi putet amplius quicquã licere, quod nomine Cõmissariorum accuset, qui ijdem & actores & iudices esse perperã præsumũt; sic enim Imperatores aiunt. Nostris & parentum nostrorũ constitutionibus cõprehensum est eos, qui accusationem alienis nominibus præsumpsissent, in delatorum numero esse ducendos, atq; ideo calumniosissimũ caput & personam iudicio irritæ delationis infamiæ supplicíũ sequatur: quo posthac singuli, vniuersiq; cognoscant, non licere in eo, quod non possit ostendi, iudicũ animos cõmoueri. Neq; sane sunt eius conditionis isti Cõmissarij nostri, vt præter omnes alios mortales supra ius & leges sint collocandi, quanquam inter bonos viros, minimè enim hoc illis vtile est, nolint numerari. Multo minus priuilegio quopiam Instigator ineptissimus calumniæ pœnam effugere potest, cum ijdem Imperatores hanc etiam legem tulerint. Fallaciter incusantibus maximè post exhibitionem accusati, nullius iuris color veluti deriuata excusatio proficiat subueniatq; personis non specialis indulgentia, nec beneficium quidem eos generale subducat.

l. ult. C. de Calumn.

l. 8. C. eodem

l. 9. C. eodem

Quod autem non contentus cõuiciator malignissimo studio magistratũ & populũ criminandi, syndicum etiã & secretarios immiscet, quasi illi miseros & ignaros ciues fraudulenta persuasione deceperint, & contra Principem concitauerint, nec verũ nec mirum est, cum hoc vnicum Asinus iste studeat, vt optimi cuiusque famã & existimationẽ in calumniam vocet atq; hoc ipsum laudi sibi ducere soleat. Cœterum syndicus & secretarij Gedanenses eo nomine quod ab inepto Instigatore traducuntur non magno pe sibi laborandum putant, cum ille neminem improbum, vel sui simile

vnquam

vnquam, sed optimum & innocentissimum quenq; semper laedere consueuerit. Eo sunt enim ingenio mali, cum ipsi boni esse non possint, bonos saltem male criminentur, Ac quemadmodum nemo, qui ab isthoc laudatus sit, vnquam se laudatiorem putauit: ita neq; illi, quos vituperat, tam perditi profligatiq; hominis maledicto dignitatem aut existimationem suam magnopere violari aut diminui vnquam existimauerunt, Tum autem illud Syndicus & Secretarij gaudent, atq; in eo conscientia sua, & honestis viris permultis testibus vtuntur, quod hactenus probatæ apud omnes fidei & opinionis fuerint, & in posterum per Dei gratiam erunt, cum interim impurissimus calumniator extrema se apud omnes bonos infamia ita immerserit, vt sacrum & execrandum caput furijs vltricibus iam dudum à bonis omnibus dicatum deuotumq; sit. Cuius os maledictione plenum est & amaritudine, & dolo, sub lingua eius labor & dolor, sedet in insidijs, cum diuitibus in occulto, vt interficiat inocentem. At profecto DEVS qui perfecto odio calumniantes odit, suis illũ pœnis reseruabit, & tandem vt Psalmus loquitur, in laqueo humiliabit.

Tandem cum etiam militem Gedani conscriptum aduersus Regiam Maiestatem rebellandi studio fuisse, falso criminatur, breuiter etiam huius rei rationes repetendæ sunt. Cum Castellanus Gedanensis sub tempus æditæ Cõmissionis nomine & mandato Principis, vti prætendebat, nulla tamen eius rei fide facta, in ciuitate Gedanensi publice tympanorum pulsu per dies aliquot magno numero militem conscriberet, non potuit Senatui & Ordinibus non magnopere suspectum id esse, quod non constaret, in quem vsum scriberetur, nec ad eas literas, quibus rei causam scisscitabantur responsum acciperent. Quanquam enim id primum eo fieret prætextu, quasi Holsatiæ duci Magno, cum à classe Suedica Osibijs obsesso, præsidium compararetur: tamen cum ipse Dux postea suis sumptibus milites quos collectos audiuisset,

trans-

transmitti peteret, nihil impetrauit. Additus deinde color est alius quasi Finlandiæ Duci Ioanni suppetias laturi essent, qui cum fratre Suetiæ Rege dissidebat, cum interim neq; nauium, neq; commeatus, neq; sumptuum ad transpostes milites vlla ratio constaret, atq; eò vsq; res protracta fuisset, vt nec idoneum nauigationi tẽpus supereſſet: Interim ipsius Finlandiæ Ducis subditi, à Principe suo literis publicis muniti, cotidie nihilo minus à speculatoribus hostiliter excipiebantur, eorumq; naues & merces diripiebantur, & instar hostilis prædæ distribuebantur. Quæ res argumento erat in quemuis potius finem, quam in eius Principis præsidium militem cogi, præsertim cum plurimi ea conditione nomina darent, ne ad naualem expeditionem adhiberentur.

vtandos

His igitur de causis, & quod in ea temporum varia difficultate, intra vrbis muros collectio militum quorum per se erat immoderata licentia, nemini non esset formidolosa, pro rerum præsentium necessitate, vniuerso populo, direptionem intestinam vehementer pertimescente, coacti fuerunt, Senatus & ordines ciuitatis & Reipub. rationes accuratius aliquando cõmunire, atq; non minus domesticis quam externis periculis, pro boni magistratus officio prospicere. Certo statuentes, quæ ob securitatem publicam & tutelam vniuscuiusq; ciuium fierent, nihil reprehensionis habitura. Ideoq; militum numerum, quos iam antea tot annos durante Suedico & Liuonico bello, aluerant, auxerunt, non clam, non animo quenquam offendendi, nedum contra Principem, quod absit, aliquid moliendi, sed tumultus & seditionis cohibendæ gratia, tum aduersus militarem licentiam, atq; libidinem, sese coniuges, atq; liberos defendendi protegendiq; necessitate. Qua quidem in re non vanum fuisse, metum nonnulli ex ijs ipsis militibus à castellano collectis non obscure proprio iudicio significarunt, quod incendio per noctem exorto, quo sexaginta & amplius ædes conflagrarint, multis audientibus proclamassent, iam iam tempus esse oportunum, si quidpiam in ea ciuitate attentandum sit.

dum sit. Sic vt tum temporis non animum illis, sed ducem defuisse videatur. Vt taceamus nonnulla mechanicorum contubernia vi expugnata, & alia multa tam insolenter acta, vt pleriq; ciuium de fortunis & vita periclitari viderentur, præsertim cum subinde diuersis in locis oriretur inter ciues & milites, illos disidia. Qua re magistratus pmoti sunt, vt in custodiendis portis, in ciuitate vbiq; munienda portuq; & naualibus tuendis, habendis etiã per militem excubijs, ne per hyemem ciues isthoc onere nimium grauarentur, maiorem diligentiam aduersus inopinatas machinationes adhiberent, neue officio suo in conseruanda Reipub. tranqlitate defuisse viderentur. Constat aut magistratũ Gedanensem iam antea sæpe militem, etiam minoribus Reipub. periculis collegisse, non solum collaudante Regia Maiest. hac in re debitæ subiectionis & vigilantiæ studiũ, quantũuis id ineptum Instigatore mordeat, sed etiã mandante: Senatus prouideret sedulo, ne quid aliquando incuria vel securitate, per subitaneos motus, & occultas quorundam machinationes Respub. damnũ caperet. Vti tempore Ducis Erici Brunsuicensis in Prussiam aduentantis, & annos aliquot antea hoste inopinato ad ciuitatem mouente, egregie comprobatum est: Quapropter, quod tanquam axioma affirmat ineptus Instigator, nulli omnino ciuitati licere infcio Principe militem habere, multis exemplis si opus sit, posset refutari. Et vt maxime de plerisq; ciuitatibus verũ esset, de Gedanensi plane concedi non potest. Nam cum illa in ciuitatibus Regni & terrarũ Prussiæ postea varijs casibus & euentibus primũ omniũ obiecta sit, citius interdũ incolis omnibus pereundũ fuisset, quàm cõsensus Principis per tot regionũ spacia requirendus. Aliquoties enim accidit vt hostis prius ad portas adesset, quàm de aduentu eius quidquã fuisset præsensum. Quæ est igitur illa fides erga Principem, in milite non conscribendo rebellionis euitare suspicionem, Vrbem autem & ciues inermes hosti prodere?

Conscribunt in regno priuati militem, & ad exteros inter-

dum

dum educunt, cur non liceat Gedanenſibus in propugnaculo Regni poſitis militem alere in vſum ciuitatis, in nullius iniuriã, proprijs ſuis ſumptibus quos ſi res aliter ferret, ſeruare, quàm profundere mallent, neq; id tam in ſuã rem, quàm totius regni cõmodum publicũ, exemplo aliarum ciuitatum? Ex quo apparet factum, hoc pro Reipub. indemnitate ſuſceptũ & ſæpius à Diuis Regibus probatum, nunc demum propter aduerſariorum ſiniſtras interpretationes & calumnias in repræhenſionẽ publicam & principis indignationem perperam detorqueri.

Ridicule autem inſulſus Inſtigator allegat articulum 16 ſtatutorum Gedanenſium, quo probare nititur ſenatum non potuiſſe ſacramento ſibi milites aſtringere, citra Regiæ Maieſt. præiudiciũ. Nam nemo eſt adeo ſtipes, vt iſte Therſites, qui non ex ipſis articuli verbis intelligat, videat & manibus palpet, loqui ſtatutum de iuramento, quo noui magiſtratus nemini niſi Regiæ Maieſt. obligantur. De militibus vero vel cæteris, qui ſenatui iurant, verbum nullum, alioquin cõſequens eſſet, nec ſecretarios, nec officiales publicos, nec eos qui ius ciuitatis acquirunt, Senatui iuramentũ præſtare poſſe. Nec multũ refert quod Cõmiſſarij Elbingæ exemplo Nicolai Shulzij inconſiderati Inſtigatoris opinionẽ confirmauerint. Nos enim legibus nõ exemplis res eas dijudicari didicimus. Quid enim ſi Cõmiſſarij nõ iure iudicaſſent, quod fieri pro humana conditione potuit? quid ſi priuato in præconſulẽ odio, quod multis perſuaſum eſt, perperã id cenſuiſſent? quid ſi ex illorũ ore inſanus Rabula eadem ipſe blateret? Enimuero non ſunt iſti tales, quorũ aliqui plane quid ius ſit, ignorant, qui nobis ex ſuo cerebro, tanquam ex oraculo iura conſtituant: Illud certe, & moribus receptũ & rationi conſentaneũ eſt, vt officialis procurator, miles, vel quicunq; alius qui in verba ſenatus iurat, eodem iuramento Principi, cui ſenatus immediate ſubeſt, fidem adſtrinxiſſe intelligatur.

Cæterum quanquã ex ſupra dictis abunde patet meras eſſe inconditi Inſtigatoris calumnias, quas in impudentiſsima accuſatione

x omnium et

ſſatione ſua maligne congeſsit: tamen vt omnem animi ſceleratii inuidiam penitus, euomat, & innatam ſibi gratitudinem patrono præſtet, tandem in calce famoſi libelli x ſingulorum tam Elbingæ, quam Gedani geſtorum cauſam & culpam Clefeldo ſimul & ſemel impingit, quaſi in ipſius fuiſſet arbitrio, & poteſtate, ea quæ omnium conſilio & ſuffragio acta eſſent, auctoritate propria prohibere. Nimirum veritus calumniator, ne dum vniuerſam ciuitatem tam inſigni iniuria prouocat, tanto onere ferendo par non eſſet, in vnum ea deriuare, vnumque caput omnium inuidiæ obtrudere tutius exiſtimauit: Quinimo cum actionis initio Senatum, Scabinos, Centumuiros, totam communitatem, indifferenter, excepto nemine perduellionis accuſaſſet, paulo poſtea palinodiam canit, & cõmunitatem innocentem eſſe, qui maiorẽ magiſtratui conciliet inuidiam, proclamat: Quod ſi contraria allegantes non audiuntur, quid iſti tandem bilingui beſtiæ ſit credendum? Qua de re nihil nunc amplius dicam, quàm vniuerſam ciuitatem ea crimina quæ Clefeldo ſpeciatim obijciuntur, tanquam in ſui ipſius iniuriam & contumeliam excogitata, bonis & æquis, & iuſtis rationibus confutaſſe quo minus neceſſum eſt in Clefeldi perſonam nouis & exquiſitis defenſionibus vti. Quanquam enim ille tum temporis vices Principis, officium Burggrabiatus, & ſummum in ciuitate locum ſuſtinebat, tamen in ea ciuitate, quæ ſaluis legibus, iuribus ac moribus ſuis ad Poloniæ regni ſceptrum acceſſit, ita receptum eſt, vt Burggrabij votum extra eas cauſas, quæ ad eius officium ſpecialiter pertinent, in Senatu non plus habeat momenti, quam cuiuſuis alterius conſularis, ne dum vt in conſilio centumuirali quicquam poſsit ſolus inhibere, quod cõmuni calculo decretum eſſet, quo ſententiæ numerari ſœpius, quàm ponderari conſueuerunt. Nam cum Reſpublica Gedanenſis ex optimatum & populari ſtatu mixta ſit, non poteſt vnius ciuis auctoritas eſſe tanta, vt quantumuis cœteris omnibus, in conſilijs ratione & argumentis præſtet, cõmuni decreto poſsit derogare.

Quinimo

Quinimo ne rationibus potius, quàm legibus agamus, expressa lege Diui Sigismundi cautum est, quod Senatus, Scabini, Centumuiri suffragiorum numero sciuissent, ne quis in ea ciuitate contradiceret, qui contra dixisset, capitale esset. In quam legem a què vt in cœtera ciuitatis iura, cum Clefeldus iurauerit perperã à perfidissimo Calumniatore periurium obijcitur, cum id quod more, & lege ciuitatis fit, contra Principis, qui legem tulit, honorem factum, nequaquam intelligi possit.

Allegat hoc loco nonnulla, ex Clefeldi consilio verba, de quibus nihil certi dicere possumus, quandoquidem eius consilij subdolus Instigator exemplum nunquam edere voluit, nec ipsi quidem accusato, qui ea, quæ ante tot annos scripserat, nunc exacte meminisse non potest. Vnde suspicari licet, & mutilata pleraq; allegari, & à calumniatore ex Germanico idiomate in Latinum non sat bona fide fuisse translata: sed redeamus ad superiora, ex quibus primum docuimus per Clefeldum non stetisse, quo minus Cõmissarij in ciuitatem admitterentur. Item de regiorum mandatorum publicatione deq; collectione militis intelligendum. Nam quod legatos nefandis conuitijs publicè perstrictos, eorumq; familiares viros nobiles, iactu lapidum nudatisq; pugionibus ac globorum eiaculationibus infectatos fingit, tantum à Clefeldo factum id abest, vt decem millibus fide dignis testibus demonstrari possit, nihil horum vnquam à quoquam fuisse designatum. Non minus calumnioſum est illud, quod Regiam Maiestatem famosis scriptis Elbingæ & Lublini traduxerit. Senatus enim populusq; Gedanensis rationes suas, quibus permoti Cõmissarios excluſissent, per legatos suos, quorum Clefeldus caput erat primum Elbingæ terrarum consiliarijs, ad quos ea res maxime spectabat, deinde Lublini in publico Regni cõuentu palam exposuerunt. Nec ob eam rem bonus quisquam Senatum populumq; reprehendit, vel defensionem publicam libelli famosi loco habuit, nedum Legatis vitio verterit; Quorum est officium mandata sibi

concredita fideliter expedire. Plane si hoc crimen est sacræ legationis officio recte fungi, non vides quidnã in rerũ natura pessimus calumniator inculpatum sit relicturus. Anglũ (vt cœtera pertexamus) Clefeldus nec incarcerari, nec proscribi mandauit, cũ in ea causa, legitima iudicũ, absq; Clefeldi auctoritate interceſſerit cognitio. Militis vero dimittendi æquè ac conſcribendi, nullam potestatem habuit, cum id publico ordinum consilio necessario fuerit decretum. Popularis autem tumultus sedandi, & seditionis cohibendæ, Clefeldus adeo fuit studiosus, vt nihil turpius impudentissimus Sycophanta potuerit ementiri, quam eundem seditionis auctorem extitisse. Quod porro de dispositis militum excubijs, pontibus deiectis, commeatu legatis interdicto, de bonis ciuibus famose traductis, & contumelioſe habitis, & insolentia militis perterritis, & quæ sequuntur de consilio Elbingensibus dato, ne legatis obuiam irent, ne Infulato hospitium in Prætorio darent, atque vt claues portarum ad intromittendos Gedanenſium milites reciperent, deque interceſsione pro Elbingenſibus Præconſulibus, & statutis rescindendis, ac his similia, quæ conuitiator adducit, meræ sunt nugæ, gerræ, germanæ, fabulæ, & impudentis Rabulæ post crapulam somnia, quæ ideo fortasis adspergit, vt lectoribus tædium legendi nonnihil abstergeret, vel vt fidelibus suis ciuibus tenebras offunderet, vt quod nunquam factum sit, factum nihilominus putarent, qui adeo auide reditum eius expectant, vt nullus, nisi ei similis non decies suspensum, quam semel in patriam reuersum videre malit.

pag. 49 De speculatoribus supplicio affectis supra satis dictum est: Nam quod Clefeldum attinet, nihil aliud ex officio suo aduersus deprehensos latrones in flagranti facinore facere debuit, quam legitimæ cognitioni eos sistere, quod cum iniuriosus Instigator reprehendit, omnium flagitiorum & scelerum impunitatem, vt & ipse impunitus sit laudare videtur.

Postremum somnium de Nicolao Shulzio quatuor equis Gedano

dano per Pomeraniam vltra Stetinū deducto, nunquam in rerum natura fuit. Clefeldus illū certe tum temporis nec vidit, nec Gedani fuisse sciuit, nec in Pomeraniam transisse ante hunc diem vnquam audiuit.

Ex quibus omnibus facilis est coniectura, quod sit maligni calumniatoris in detrahendo bonorum virorum honori & existimationi, præsertim autem in criminando Clefeldum studium quem colendi & venerandi plures quàm conuitiandi causas ingratus Frideualdus semper habuit. Verum istud latum, lenonium, pudoris prostibulum, etiam honoris sibi loco ponit, viros bonos calumnijs & contumelijs persequi, adeo vt etiam re quasi bene gesta laudes suas prædicare furcifer incipiat, quas tamen de ore proprio, vt ait prouerbium, sordidas fieri necessum est. De cuius familia nihil quidem constat, nisi patrem eius hominem fuisse probum & honestum, hunc autem filium perditum in tantum degenerasse paternis moribus, vt patrem etiam interfecturus publice fuerit, qd eius moribus patris modestia nō respondesset. In academijs qualem se gesserit, ipsa res abunde testatur. Nihil enim à primis annis aliud studuit præter calumnias confingere, & bonorum virorum honestis actionibus oblaterare. Quin etiam malitiam suam iactitat, quem scimus, in ganeis, lupanaribus, & popinis egregium esse militem, vbi dies, noctesq; estur, bibitur, pergræcatur, scorta ducuntur, sycophantæ supremum locum obtinent boni viri procul absunt. In aula quidem Cæsarea summū atrienſem in stabulo fuisse perhibet, cuius dignitatis vel illud etiam argumentū est, quod calumniarum sordes etiamnum ipsi plus quam lutulentæ sui cumulatim adhæresunt.

Quod autem à nonnullis (nullis eadem opera dixerit) Principibus aureis se clenodijs condecoratum prædicat, næ illi pro virtutibus eius torque funali longe rectius nebulonem condecorassent. Neq; multū opus erat vt insuper nobilem etāi (si dijs placet) ignauus se prædicaret, quem omnibus sceleribus & flagitijs

iam

iam pridem nobilitatum omnes nouimus, vnde non est mirum, si portentū illud Elbingenses non solum ex ciuitate proscriptum, sed ex rerum etiam natura exterminatum voluissent. De quo non vere minus, quàm eleganter illud scriptum est.

Scurra cathenatus vetitos aspirat honores,
Dum prædicat se nobilem,
Perfidus impostor, mendax insignis adulter,
Calumniator optimus,
Si quem nobilitat virtus, virtutibus istis
Cur non ferat se nobilem?

Huic non absimile illud, quod in eum alio carminis genere prodierat, tunc, cum se intrepidum Instigatorem habere vellet, qui quouis Rabula stultior esset ac ineptior, quod carmen non alienum fuerit hoc loco laudibus eius adiungere. Est autem tale.

Audierant pueri vocem tudentis Aselli,
Protinus horrendis extimuere sonis.
Dum propius palpant ignauum, aureſq; præhendunt,
Et risere magis, & timuêre minus
Non secus intrepidus, dum iactat Rabula voces,
Omnibus horrisono concitat ore metum.
Mox vbi se stolidi vesania prodit aselli,
De Rabula intrepido fabula nata fuit.
Intrepidumq; asinum sub eodem nomine censet,
Qui sani insanum nouit habere nihil.

Tandem in fine per orationis tam elegantis etiam affectus veterator mouere conatur, quod Clefeldum omnem operam nauasse, dicit, qua illum miserum (vere me hercule miserū si modo se ipsum nouerit) & vxorem & liberos cum tota familia (imo cum vniuersa aula) de nocte trucidaret, nisi à bono amico

Angeli

Angeli loco monitus eadem die Elbinga discessisset. Malum illum profecto Angelum fuisse oportet (vt illum dij deæq; omnes male perdant) qui tam bonam operam intempestiua admonitione remoratus fuerit. Sed ipse fortassis conscientia scelerum ita vexatur, vt quid se dignum sit subinde cogitet. Ita enim fieri solet, vt scelerati & male conscij semper id metuant, quod promeriti sint, etiamsi longissime absit. Clefeldus istius ingrati Cuculi mortem nõ expetit, Viuat potius & diu miser viuat, Ita enim animi furijs exagitatus quæ illum die noctuq; non sinent esse quietum, moti potius, quam vitam trahere optabit. Occurret assidue eius animo patris memoria & cogatati parricidij scelus faces ardentes præferet. Occurret imago iratæ patriæ, quam tot calamitatibus proditor implicuit. Obuersabuntur miseri ciues, quos ad æternam nominis sui posterorumq; ignominiam aduersus ordinarium magistratum in apertam fraudem illexit. Obuersabuntur tot honesti viri quos innocentes iniurijs, contumelijs, calumnijs, diuexauit. Occurrent immanissimæ carnificinæ, consilia, actiones, & operæ quibus sceleste furcifer duas ægregias vrbes, & earum rectores ignominiæ, flammis, cædibus, exitio destinauit, totamq; Prussiam sceleribus suis contaminauit. Occurret infamia propria in quam semetipsum sponte per arrogantiam, ambitionem, perfidiam, & inuidiam temere præcipitauit, omni fortunarum successu priuauit, omniumq; bonorum virorum beneuolentia & consuetudine indignũ fecit, quam ignominiam filijs etiam & posteris ad æternum dedecoris documentum sua iniuria relinquet, illaqueatus iam omnium legum periculis irretitus odio bonorum omnium, expectatione supplitij iam non diuturna implicatus. Hæc illi vita morte erit acerbior, hæc illum nihil nisi extrema supplicia ferrum, ignes, laqueos, cruces, tormenta metuere, cogitare fingere, somniare patientur, hæ pœnæ sunt in hac falsem vita sceleribus improborum ab immortali Deo constitutæ.

Atque hactenus turpissimis tam accusationi publicæ, quam in vniuersum famosi libelli criminationibus, quantum quidem opus visum fuit (Nec enim omnes calumniarum quisquilias colligere licuit), respondisse sufficiat in quibus confutandis, si quando durioribus parumq; modestis, vel etiam, vt videri potest, contumeliosis verbis vsi fuerimus, illud totum arrogantis Instigatoris impuritiæ tribuendum est, cuius in calumniando tanta est impudentia, vt quemlibet quantumuis modesto & sedato ingenio preditum, ad vehementiorem prorsus orationem impellat. Qui cum consueuerit dicere, quæ vult, non immerito, quæ non vult audiat: & qui contumeliam omnibus tam audacter facit, ipse vicissim sibi fieri non molestissime ferat, & quæ fuit accusatoris in calumniando, eadem nobis in defendendo concessa sit libertas. Nihil vero tam indecorum dici potest, quod ille designare erubescat, neque potest atrocioribus verbis vulnerari, quam ipso facto suo, suisque moribus iam confectus ac trucidatus est. Sed nunc ad institutum pergamus.

Accusatione hunc in modum, quo diximus, peracta & accusatis ad respondendum die prolata, Clefeldo nihilo minus ad crebram impudentis castigatoris proclamationem, qua postulabat illum in vincula conijci, hospitium pro carcere adsignatur. Iussus etiam Instigator, vt accusationis copiam Internuncijs faceret, scriptum illis exhibuit, quo omnia ea crimina quæ publicè proposuerat, in vnum Clefeldum detorquet, ijsdem plane verbis, quibus in eius libello postea edito, diximus contineri. Postridie Clefeldus ardentissima febri corripitur, quo morbo impeditus ad diem responsioni præstitutam, quæ fuit vltima Martij mensis, adesse non potuit. Internuncij nihilominus defensionem suam proponere volebant. Quæ cum descripto legi inciperet, interrupit importunus Instigator, & quoniam sibi cum Clefeldo negotium esset, eumque in iudicio non vi-

non videret, petijt eum contumacem decerni. Rex intellecto Clefeldi morbo, abſentiam eius æquo tulit animo, & cauſam integram denuo prorogauit, donec illi per valetudinem adeſſe liceret, Inſtigator autem conquerebatur cauſam de die in diem duci, ſpacium accuſato ad reſpondendum dari inde terminatum, rei finem nullibi apperere, poſſe qui ſibi caſibus humanis obnoxius ſit, multa interim accedere, quæ cum eius infamia vel detrimento coniuncta ſint. Itaque ſatis impudenter iterum atque iterum poſtulat terminum certum & definitum deſignari. Rex hominis importunitatem pertæſus tertium ab eo diem præfigit, ac ſi interim Inſtigatori quid humanitus accidiſſet, hanc actionem illius famæ non obfuturam decernit, Sed nec eo quidem ad tractationem cauſæ peruentum eſt, cum quod Clefeldi morbus indies ingraueſceret, tum quod aliæ grauiſsimæ res, & Regni & magni Ducatus Lithuaniæ Principem ipſum & Conſiliarios omnes cotidie haberent occupatiores.

Interim ne ægroto etiam ſpacium ſeſe recolligendi daretur, nouus aduerſus Clefeldum inſtitutus eſt iuris ordo: Menſis enim Aprilis, die quinta Caſtallanus Herbſtatus cum quatuor Secretarijs Regijs Clefeldum decumbentem, & iam cum Paroxiſmo vehementiſsime conflictantem adeunt, & arbitris remotis, quod ſe ad ipſum ſecreta Regis mandata habere dicerent, accuſationis capita denuo proponunt, & vt ad ea ſingulatim Clefeldus vel affirmando, vel inficiando factum reſponderet, poſtulant. Ille quanquam & citationem Commiſſorialem illegitimam eſſe, & de cæteris criminibus diem ſibi dictam non eſſe contenderet, præterquam quod ad grauiſsimum exemplum pertineret, legatos ciuitatum publicos tam turpiter à leuiſsimis hominibus in crimen vocari: Tamen cum illi Principis mandatum grauiſsimis inter-

minationibus ingerent præmissa contestatione iuris sui pleraque negat, cum quod maxima rerum gestarum pars ad causam ciuitatis publicam, non ad se priuatim spectaret, tum quod plurima per Instigatorem aduersum se turpiter excogitata, & conficta fuissent. Hoc extorto responso Instigator ad testimonia sibi procedentum existimabat, quod iamdudum sciebat testimoniorũ calumnias inter Cõmissariorum præsertim familiares, & mancipia minime sibi defuturas. Vocatur igitur Clefeldus in Prætorium Lubinense, in eorundem præsentiam, qui, vt diximus, responsum negatiuum expresserant, quasi ad eum actum regio nomine designatum. Vbi cum eius procurator vna cum cæteris internuncijs adessent, delegati illos edocent, sibi mandatum à Principe vt præsente Clefeldo, vel eius procuratore, testes ab Instigatore contra Clefeldum & complices producti, & nominati iuramentum de veritate dicenda præstarent, eamque ob causam Clefeldum eo fuisse vocatum. Procurator Clefeldi, quanquam multis rationibus contenderet, nec Clefeldi eam causam esse, nec legitimum iuris ordinem seruari, nec eos produci testes, qui ad dicendũ in ea causa testimoninm essent idonei, nihil tamen aliud obtinere potuit, quam vt exceptio contra testes & eorum dicta Clefeldo & consortibus reseruaretur. Ita iuramento palam præstito, iussis recedere cæteris, per dies aliquot clam examinantur testes alij separatim, coniunctim alij, præsente fermè semper instigatore, qui eosdem testes & producebat, & quid opus esset dicta, subinde suggerebat. De quibus quidem testimonijs & testium fide suo loco tractabimus. Interim cæteros etiam Elbingenses legati, quantumuis accusatorum numero essent, iurati testimonium dicere coacti sunt. Quinimo & Syndicus & Secretarij & cæteri internuncij Gedanenses ad dicendum testimonium per Instigatorem fuere vocati, qui constanter id ac honestis rationibus detrectabant: Primum quod personam ciuitatis publicam gererent, ad publica regni comitia, non ad obeundas fori actiones missi

nes missi cum certis mandatis, quorum fines egredi minime illos deceret: Deinde quod ipsimet in ea causa ciuitatem & accusatos legitimè aduersus quasuis delatorum calumnias, defendere, non autem aduersæ parti iurando vel testificando tela submini-strare deberent, ideoq; causam Internunciorum fidei concredi-tam prodere verius quam agere viderentur, si quocunq; modo accusatoris intentionem adiuuarent. Tum quod eiusdem causæ & actores & procuratores essent, publicè simul accusati, quare nihil iniquius quàm eos contra semeipsos cogi testimonium dicere, accusatorem ipsum debere suas probationes in tam graui crimine luce meridiana clariores proferre, non ab accusatis mutuare. Delegati quanquam his omnibus more suo in partem reiectis subinde contenderent, vnumquemq; subditum teneri, pro fide sua, in causa Principis sui contra læsæ maiestatis reos absq; omni exceptione dicere, quasi nimirum nuda & simplici leuissimi hominis assertione reus quis cuiusuis criminis constitueretur, præsertim accusato nondū audito: Regia Maiestas tamen ad quam prouocatum erat testimonij dicendi necessitatem relaxabat.

Interim dum hæc aguntur, noua cuduntur consilia de euocandis etiam alijs, qui post Clefeldum maxime Commissariorum conatibus obstare videbantur. Ita enim res iam instituta erat, vt in paucos tota accusationis moles conuerteretur, quasi illi auctores exclusionis & rebellionis extitissent, & cœteros suis persuasionibus in fraudem illexissent: horum supplicio populum vniuersum posse defungi, & cœteros in magistratu positos exempli metu mandatis obtemperantiores futuros. Domum igitur dimisso Præconsule seniore, reliqui duo, Constantinus Ferberus, & Ioannes Proitus, & cum illis Albertus Gisius senator euocantur, idem crimen rebellionis & læsæ maiestatis ijsdem verbis in edicto propositum. Internuncij quidem diligenter dabant operam, si quo pacto edicta possint abrogari, intercedebant, etiam ordines lite-

sis suis, quibus non solum euocatos nihil priuatim sine publico decreto admisisse testantur, sed suum hoc factum, quod Cõmissarios excluserint, Regiæ Maiestati legitimis rationibus se probaturos profitentur. Quo igitur igitur inquiunt, quaque ratione id quod optimo consilio, pro fide nostra, vrgente necessitate, ad conseruandam publicam tranquillitatem factum est vitio nobis verti, vel ad crimen perduellionis omnium scelerum longe maximum, maximeq; abominandũ, pertrahi potest? Nos in delictis animũ ppositũq; spectãdũ didicimus, neq; criminis denominationẽ facinus illud mereri, quod citra peccandi voluntatem ex necessitate quadam admittitur. Deinde cõstitutionibus D. Sigismundi cautũ illud meminimus, quod crimen læsæ Maiest. in sola sereniſsimorũ Regũ persona locũ habeat, nec ad alios quacunq; dignitate vel officio præditos debeat extendi. Deniq; crimẽ læsæ Maiest. comperimus esse, non quodcunq; contra Principem factũ sed quod dolo malo, hostili animo in Regni vel Principis damnum aut excidium suscipiatur. Supplicant igitur ne ob ciuitatis factum, accusatione publicè iam instituta, & lite pendente quicquam seorsim contra quemuis acerbius statuatur, sed vniuersitatis defensiones clementer admittãtur. Ad eas literas Rex ita respondit, vt ostenderet Cõmissariorũ delatione, euocatos omniũ turbarũ auctores designatos fuisse, nec quidquã interim vel de cõmissiõis auctoritate, vel Euocatorũ causa mutaret, nisi quod diẽ causæ dicendæ progaret. Vbi nihil aliud obtineri potuit. Ordines publico decreto euocatos sibi legatos constituunt, & numero cæterorum Internunciorum adiungunt, additis mandatis, quibus rationes defensionis & publicæ & priuatæ in senatũ Regni proponendi continebantur.

Euocati Lublinum veniunt ad 13 Maij mensis, & paulo post die Mensis 28. à Fridevaldo publice accusantur. Is eam actionem ita tum instituit, vt contra prius factum suum initio expresse testaretur, à Regia Maiest. sibi permissum, vt de criminibus in actione superiori deductis, non quidem vniuersum magistratum Gedanenſem

nensem, sed quosdam eius ordinis, specialiter euocatos, tanquam omnium rerum illarū auctores accusaret. Mox accusationis suæ fundamenta ex fontibus iuris, vt aiebat, deducta, ita disponebat, vt diceret, se deducendo motum, voluntatemq; cōmittendi criminis, officio suo iam antea satisfeciſſe, nec ad vlteriorem, & exactiorem probationem adstringi. Secundo loco prætendebat, quod accusati de læsæ Maiest. crimine ipso facto rei efficerentur, & non expectata sententia legitimis pœnis subiacerent. Tertio quod in huius criminis tractatione, recedatur à cōmuni regula iuris, Et accusatus licet actore nihil probante, vel verisimilem rationem non adducente, nihilominus cogeretur innocentiam suam ostendere. Quarto quod accusati simpliciter saltē tenerentur ex vinculis causam dicere. Tandem quod accusatori omnis generis inquisitio, & corporis tortura ad eliciendam criminis cōfessionem præsto esse deberet. His ita in mediū positis, ad recta etiam ridiculis aliquot instituti sui fundamtis, accusationis capita recensebat, eiusdē fermē generis, quæ in superiori actione fuerāt proposita, in quibus repetendis ne hocci quidē est, vt tempus frustra teramus.

Addebantur alia partim vt antea malitioſe conficta, partim per calumniam ad crimen detorta. Nimirum quod Gedanenses legem de homicidis contra auctoritatem & dignitatem Regiam constituissent, quod ciues suos, & subditos regios inutilibus laboribus vallorum, exactionibus, rerum earū quæ ipsi potuiūe sunt defalcatione, falsificatione actorū opprimerent, quod splendidis ædifitijs & superuacuis sumptibus facultates publicas exhaurirent, & inscio principe pro libitu magnifica palatia construerent, etsi quo mitterentur illorum Legati, tanquam Palatini, Comites, vel Barones cum numeroso comitatu, maximis Reipub. impensis proficiscerentur, quod Gedani domum Regiam ædificari vel restaurari non promisissent, quod constitutionibus Regijs de protectione pauperū ac pupillorum, de nimia vsura abolenda, de senatorum consanguineis in senatū non legendis, quod vsurpan-

de ius-

do ius regium monetam taxassent, maris portum pro arbitrio clau derent ac aperirent, bona xenodochiorum & contuberniorum vsurparent, & in suos vsus conuerterent, quod grande æs alienum conflassent, eoq; nomine Repressalias in bona ciuiũ credito. ribus tradidissent, quod Ferberus contubernio lanionum quatuor mansos agri violenter eripuisset, ac in ijsdem prædium splendi. dum ædificasset, ac de nomine suo Constantinopolim nuncupas. set. Hæc fermè summa erat accusationis eius si calumniæ superioris actionis de re Commissoriali, adijciantur.

Verum hæ criminationes omnes ex eodem veritatis fonte, quo priores emanauerant, eodem saltem innocentes opprimendi studio defluebant. Nam quod ad legem de homicidis attinet, ea Gedanensium plebiscito homicidas, nisi qui casu, vel pro tutela corporis necem fecissent, æque vt commune ius omnium gentium morte mulctat. Illud saltem in veteri lege additum erat, Burggrabium qui regias vices gereret, posse etiam homicidæ voluntario qui profugisset reditus gratiam facere, quo ad cum interfecti hæredibus transegisset. Quare si fatuus quidpiam intelligeret, auctoritas officij Regij potius amplificanda fuerat, quàm imminuenda. Sed hoc in posterioribus legibus plane fuit abrogatum, sic vt ne calumniandi quidem materia nunc in hac lege supersit. Ex eodem criminationum genere sunt illa, quæ de intollerabilibus ciuium exactionibus, de contributionibus, de immodicis construendorum vallorum, seu munitionum laboribus & quæ sunt his similia, in nostri inuidiam ab Instigatore mendacissimo prolata confictaq; fuere. Semper enim Senatui liberum fuit ad vsum Reipub. subsidijs contributionum vti. Extat in eam rem priuilegium omnium sane pulcherrimum Diui Cazimiri, quo ciuitatis Ordinibus amplissimam, & plane Regiam potestatem concedit, ex communi consensu, quoties illis è Republica visum fuerit, contributiones indicendi, & plebiscita condendi,

ita qui.

ita quidem, nec vt sibi nec successoribus regibus ius fasq; sit, ordines hac in re nec interpellandi, nec quoquo modo prohibēdi. Hæc cum suo iure ciuitati competant, cum in vsus non solum huius Reipub. sed omnium etiam Regni prouinciarum commodo fiant, cumq; illi ipsi hæc onera priuatis sumptibus perferant, qui sponte ea sibi imponunt, quid habet quæso maledicus calumniator, quod iure possit reprehendere? Cætera ædificia publica ex ærario publico sine ciuium impendijs extruuntur, & sarta tecta habentur, in quibus si quid ornamenti etiam adhibetur, haud equidem id vitio verti recte crediderim, cum quilibet etiam priuatus ciuis, ita plerunque soleat ædificare, vt non vsus solum, sed nonnihil etiam ornamenti rationem habeat. Admodum autem turpe foret, si ciuitati priuatorum domus ornamento, publica autem ædificia dedecori esse perhibeantur. Idem de legatorum publicorum ratione dicendum, vt iniquum non sit, eos pro Reipub. dignitate, & sumptibus necessarijs & honesto comitatu ablegari. Quod de Regia domo admiscet, nihil ad rem pertinet, de qua intra quadraginta & amplius annos verbum nullum audiuimus. Diuus autem Cazimirus in ipso priuilegio, ita voluit obligatos esse ciues, ad ædificandam curiam quanto citius possent, & quatenus facere possent, successores etiam sereniſsimi, & ipsa Regia Maiestas quæ nunc rerum potitur, ob varias æris alieni difficultates quo ciuitas Maiestatis eius nomine obstricta est, hactenus obligationem eam suspenderunt, Cætera sunt adeo vana & compositis mendatijs conficta, vt qui plura de illis dicere velit, plus in abusum temporis iacturæ quam in refellendis mendatijs lucri sit facturus.

Cæterum ad hanc accusationem quanquam accusati ita responderent, vt nihil eorum quæ in crimen vocarentur ad quenquam priuatim pertinere dicerent, & si quid publice cōmissum esset, cuius rationem redditura ciuitas esset, non potuisse priuata sua auctoritate uel interdici vel prohiberi? Principi tamen placuit ad

euit ad Commissariorum instantiam, vt vel affirmando vel negando litem contestarentur, alioquin eos pro contumacibus & confessis damnatum iri. Vbi vim adhiberi sentiunt, negant quidquam à se cõmissum, quod vel ad Rebellionis crimẽ, vel ad honoris & existimationis suæ ignominiam iure trahi possit. Ibi cum lepidus Instigator profert librum testimonijs refertum, quæ supra diximus clam partim, partim palam ab illo collecta, recitat in confessu Regni, cum ipsius principis indignatione, & plurimorum qui in consilio assidebant tædio, totus enim liber non tam testimonijs, quam mendacijs & calumnijs constabat Testium nomina non erant adscripta, exceptiones contra personas plane negabantur, quantumuis antea reseruatæ fuissent, Exemplum testimoniorum edebatur quidem accusatis, sed eo demum die, qui refutandis testimonijs dictus erat, vt vix legendis ijs calumnijs tempus tam angustum sufficeret, Veruntamen vt planius constet, quo iure, quoúe ordine cum accusatis actum sit, de testibus nonnihil adijciendum est.

Tria omnino eorum erant genera, vt postea cognitum est, quamuis tum nomina studiose supprimerentur. Primi erant ex famulitio ipsorum Commissariorum, mancipia & infimæ fecis homines, quanquam aliqui, vt illorum mos est, nobiles sese iactarent. Hi neque veritatem dicere, neque iuramenti religionem magnifacere, sed ex solo Dominorum ipsorum nutu pendere solent, affirmabant omnia, quæcunque postularet Instigator, siue ea facta essent, siue ficta, ita vt non solum de rebus eiusmodi testati sint, à quibus longissime abfuissent, sed etiam ea tanquam oculati testes retulerint, quæ nunqam in rebus humanis extitissent. Proinde neque fide, neque religione, neque integritate vitæ, sed solo numero præualituri videbantur.

Secundus erat ordo testium, ex ciuibus Gedanensibus collectus, qui vel cum Magistratu priuatas habebat controuersias vel

culpa-

culpa sua & rebus male gestis, aliquando carcere, bonis, vel exilio multati fuerant, Hi iam pridem in accusatos male animati, nunc maiorem etiam odij exprimendi causam nacti erant, sic vt nec ipsi à calumnijs abstinerent, partim vt ægrè magistratui facerent, partim quod in reorum oppressione eò maius suæ causæ præsidium repositum existimarent.

Tertium genus testium erat honestorum virorum, idque perpaucorum testimonia, quorum testimonia rei facile perferre poterant, ea plane spe, plus illos veritati & religioni, quam Commissariorum gratiæ daturos, Qui cũ nihil ferme protulissent, quod Instigatoris proposito subseruiret, multa vero quæ superiorum testium dictis maxime aduersarentur, ideo testimonia illorum vt plurimum erant omissa, nonnulla etiam, de quo ipsemet, postea cõquesti sunt, deprauata, & in alium, quàm ipsi dixerant, sensum detorta.

Hæc testimonia vel calumnias potius vndequaq; conquisitas, quanquam accusati pluribus rationibus probe refutare possent, nec illis deessent alia documenta, quibus innocentiam suam demonstrare facile fuisset, tamen cum animaduerterent, aduersariorum potentia & obtrectatione vitæ, famæ ac fortunis suis periculum creari, de clementissimi quidem Principis animo optima sperantes, de Procerum autem integritate, quorum plerique Commissariorum partibus aperte fauere videbantur, vehementer dubitantes, ne plus nimio disceptando, publicæ causæ præiudicium facerent, ac interim multorum animos erga se priuatim magis ac magis exulcerarent, alia quapiam via, ad causæ determinationem transeundum esse, statuebant.

Postquam igitur à Principe supplicibus precibus impetrassent, vt defensio Ciuitatis publica de Commissarijs exclusis, nec nõ Clefeldi causa, ratione consilij editi, publice descripto recitata audiretur; qua quidem maximum illud læsæ maiest.

crimen, & præcipuum accusationis caput de Commissariorum exclusione remotum & confutatum videbatur, tum demum testimonijs tam suspectis, & nullo iuris adminiculo suffultis omnino in partem reiectis publicè testarentur. Se hactenus nulla iuris necessitate, sed saltem obsequentissimo studio parendi & obediendi Regiæ Maiest. de innocentia sua disceptasse: Quam cum Instigator non veris testimonijs, sed meris calumnijs oppugnatum venisset, ideo nolle se in ijs refutandis laborare, sed conscientia sua fretos, ac præsertim ne cum Principe suo litem suscipere viderentur, se suamq; causam totam ipsius Principis benignitati & clementiæ toto orbe celebratissimæ permittere, cui potius acquiescendum, quàm vlli alij rei innitendum censerent. Minimè dubitantes, successu temporis fidei suæ integritatem, quæ in his actionibus pene oppressa sit luce meridiana futuram clariorem. Itaq; simpliciter obtestantur, ne clementissimus Princeps cum fidelibus subditis suis iudicio contendere, vel summo iure experiri vellet. Ac si quid forte ad eius offensionem ex hisce negocijs peruenisset, id summæ necessitatis causa potius, quàm vlla fraude factum esse, clementissime existimare dignaretur, ac tandem pro Regia sua potestate hanc omnem disceptationem absq; vlteriori iudicij strepitu abolere, & se ab huiusmodi criminibus à quibus semper alienissimi fuissent, benignissime absoluere vellet, quoniam longe sit laudabilius principi, subditos gratia & beneuolentia deuincire, quam ad cuiusuis delationem rigore stricti iuris procedere.

Cum autem Instigator ex commissariorum instinctu sententiam in Accusatos iure proferri vrgeret, tandem duodecima die mensis Augusti promulgatur Decretum tale: Regiam Maiest. in ea causa quæ dignitatem suam & commodum ciuitatis Gedanensis cõcerneret: exactiorem inquisitionem habere velle, quapropter decernere, vt priores Cõmissarij denuo Gedanum proficiscantur, & omnia accuratius inquirant, deque rebus omnibus plenariam

informa-

informationem ad Principem referant, qua deinceps ipse maturo consilio id quod iuri & æquitati consentaneum fuerit in ea causa decernat. Interim Clefeldus, Ferberus, Printus & Gisius, in regno detineantur

Varie quidem huic Decreto fuit intercessum in eam maxime partem, ne causa nondum cognita, accusati tam procul à domesticis laribus abesse cogerentur, ac saltem si non in Prussia tamen vicinis Prussiæ locis custodia ipsis constitueretur, verum nihil aliud potuit obtineri. Itaque Clefeldo & Gisio Sandomiria. Cæteris Petercouia vrbes Poloniæ pro carceribus assignantur. Ex quibus abunde liquet, quo iure, quoúe ordine, contra reos citatos processum fuerit, vbi actores & iudices ijsdem subsellis sedebant, accusator homo flagitiosissimus, ante litis contestationem, imo prius quàm responsum quidquam esset, famoso libello in publicum edito, ciuitati notam inurere studebat, Testimonia demum, imo calumnias, fabulas & mendacia malitiosè conflauerat. Quæ quatenus iuri, legibus, moribus & æquitati conueniant aliorum iudicium esto.

Cæteri ciuitatis internuncij ex consiliariorum sententia domum remittebantur, cum eiusmodi responso, quo satis apparebat, quod æquissimæ ciuitatis rationes præ aduersariorum potentia parum valuissent, Ordines haud obscure intelligebant, cuius artificio responsum istud à pientissimi Principis animo, & ipsa rerum omnium veritate longe alienissimam fuisset consutum, duas inprimis res ad animum reuocabant. Quarum vna quod postpositis arroganter iustissimis ciuitatis rationibus, nihil aliud eo responso videtur actum fuisse, quam vt Gedanenses eiusdem cujus postulabantur, criminis rei & conuicti haberentur, cum prorsus diuersum ex superioribus actionibus, & decreto nuper lato, quod de rebus inquirendis loquitur apparere, prudentibus debuerat; Quam enim accusationem Fridenaldus ca-

lumniator Instigatorius, si modestius aliquando, quam fecit accusare noluisset aliam proferre potuerat, neglectis aduersæ partis documentis & rationibus, quam quæ isthoc responso continetur? Quam vero sententiam Commissarij qui ijdem simul & semel accusatores & iudices erant, & in controuersia suæ litis arbitri assidebant infulati & sufflati, quasi ipsimet Reges & terrarum Domini negotiam decisо aliam ferre potuissent? adeo apparet hoc responsum ex ipsorum ore, qui ius, fas, vim, iniuriam susque deque ferunt, fuisse declamatum.

Est illud eò molestius, quod in hisce causis non ius, non leges, non auctoritas Regia, non æquitas ipsa rerum omnium moderatrix, sed hominum insolentissimorum intempestiua superbia & cupiditates non iam regnant solum, sed etiam placita sua, vel deliria potius pro oraculis, & mandatis venditant, & promulgant. Sic vt hoc responsum ex animo pientissimi Principis recte dimanatum, minime quis existimare debeat, multo vero magis Commissariorum maleuolentia ad ciuitatis contumeliam, & iniuriam grauissimam fuisse compositum.

Alterum est quod vehementer Gedanenses dolent, isthoc responso priorum Commissionum exempla referri, de quibus, si modo tales fuerunt, nihil aliud sciunt, quàm esse rerum diuersissimarum actiones. Hoc interim quod maxime rem ipsam afficit, non animaduertunt, quod si pure dicendum est, nec ea fuit huius Commissionis, quæ superiorum causa & conditio, nec tales Commissarij, hoc enim loco pedem calceus angit, qui vel vtilitatem Reipublicæ vel Principis dignitatem pluris facerent, quam affectionis priuatæ simultates odia & vrbem ipsam euertendi libidines. Nam vt multa hic prætereantur, quæ istorum hominum res ipsæ, publicè & priuatim, cum multorum bonorum virorum iactura, detrimentis & damnis, gestæ alioquin demon-

demonstrare possunt, nihil aliud ex ea ipsa Commissionis auctoritate expetiuerunt, quàm vt perdita, profligata, extincta Gedanensium Republica, iuribus, legibus & priuilegijs sublatis, sibi ipsis ex Reipublicæ cladibus consulerent. Laudant seipsos in eo responsio multoties, sunt enim ipsimet textores eius retis, viros graues, prudentes iustitiæ amantes, & alia similia sibi tribuunt, quæ neque sine mœrore possumus nunc repetere, neque vnquam quidpiam illorum in ipsis deprehendere potuimus, quantumuis eius gratia multam operam impenderimus. Sed nihil est, quod quis illis hominibus quidquam credat, nisi [illegible] contrarium ex subsequentibus actionibus experiatur, quibus demonstrabitur, quali modo Commissarij Gedanum reuertentes, iuxta sententiam Decreti Lublinensis actiones suas instituerint, & quatenus cum rerum vlteriori vel accuratioti inquisitione, & Principis informatione, pecuniarum exactiones, & publicorum prouentuum Falcidia, nec non constitutiones nouæ partibus suis conueniant, quod vt breuiter repetamus, ordo rerum exposcit.

DE

De Commissariorum actionibus Gedani institutis, Liber Tertius.

INitis Comitijs Lublinensibus nihil prius agendum sibi Commissarij putarunt, quàm vt primo quoq; tempore cõmisionum mandatis iteratis, Gedanenses Regij responsi fulmine perculsos aggrederentur, ijs etiam è medio remotis, quos maxime consilijs & machinationibus suis obstare videbant. Itaque mense mox Septemb. Anno M. D. LXIX. Internuncios suos cum literis præmittunt, vt Regia mandata, quibus in actionibus suis essent vsuri, publicè proponerentur, & hospitia sibi pro dignitate sua cuilibet attribuerentur. Adiuncti prioribus Commissarijs erant Casparus Abbas Oliuensis, huius fabulæ architectus. Laurentius Goslizkij, Canonicus homo leuis notæ. Petrus Roisius Hispanus, raucidus iuris doctor, non ab animo minus, quàm oculis laborans, & Castellani duo agreste genus hominum, qui spectatores, potiusquàm actores erant, omnes eiusdem planæ farinæ, sic vt neq; lac posit esse lacti similius. Literæ ad Senatum ad ordines ad contubernia prioris omnino generis præmittebantur. Cæterum duæ res interuenerunt, quæ aduentum illorum in vrbem nonnihil remorarentur. Vna quod pestis in vrbe mediocriter grassabatur, à qua nimirum qui Dei timore carent, vehementius, quàm cæteri mortales timere, consueuerunt. Altera quot summo studio Cõmissarij contendebant, vt priusquam vrbem ingrederentur, omnes exteri, qui Gedani conuersabantur, qui non essent, mercatores, negotiorum gestores, hospites, opifices, nautæ, qui

x cives

tæ quique in quouis famulatu essent, in verba Regis iure iurando obstringerentur, se mandata facturos. Quo consilio fuerit hoc postulatum, ex superioribus actionibus non difficulter licet coniecturam facere. Nam quod antea per milites, & manulatrunculatorum perficere cogitauerunt, ad eam rem nunc cum conscribendi militis rationes haud essent commodæ, peregrinorum opera vterentur opifices in magistros, seruos in dominos armarent, ac concitarent, vtebantur ad propositum suum hoc argumento quod in constitutione quadam Diui Sigismundi primi, de præstando à singulis iuramento, pœna capitis sancitum esset. Verum id duobus modis perperam, & minime ad rem proferebatur. Primo quod Sigismundi constitutio tantum de opificum famulis loquitur, cæterorum nullam faciat mentionem.

Quo enim pacto peregrini mercatores, qui alibi domicilium habent, domi Regibus ac Principibus suis iurati sunt, alieno iure iurando recte obstringerentur: Deinde ne ab opificibus quidem id præstari potuit, cum illi id adeo contra contubernio rum leges, & vsum esse prætenderent, vt agminatim omnes vrbe excedere mallent, quam eo iuramento, quo non obscure in dominos suos seditiosi quique concitarentur, obstringi. Qua in re operæ pretium est, rationes eius constitutionis, de qua loquimur acuratius perpendere, F quo Gedani grauissima seditio inter magistratum, & plebem, opera inprimis opificum exorta erat, cuius in posterum cauendi gratia remedium istud videbatur excogitatum. Enimuero cum iam nullus esset seditionis metus, plebe nihil attentãte F constitutio isthæc ad hæc tempora extendebatur. Ac sane satis constabat, intra quadraginta annos, neminem eo modo iurasse, quin imo commemorabant natu grandiores, ne tum quidem cum lex ferretur, iuramentum à quopiam, quod scirent, exactum esse. Quare cum ea constitutio vel ab initio non valuisset, vel longo abusu abolita esset, vel vsurpari desisset, rectissime

F Constitutum fuerat hoc tempore

F parum aptè

enim & illud receptum est, vt leges, non solum suffragio legis latoris, sed etiam tacito consensu per desuetudinem abrogentur, nulla fuit Commissarijs causa, rem nouam, inusitatam, & intestinis malis accumulandis maximè idoneam, tantopere moliendis: Quamquam autem & ipsimet pluribus & Regijs, & suis literis idem sæpius vrgerent, Senatus etiam eam ob rem opifices de quorum fide nihil dubitabant, conuocasset, ac illis persuadere conaretur, vt morem Commissarijs gererent, tamen ne sic quidem ab ipsis quidquam potuit impetrari.

Re hunc in modum infecta Calendis demum Decembris, Commissarij amplo cum comitatu Ciuitatem ingrediuntur, ac biduo pòst Senatum in hospitium episcopi conuocant, Vbi hunc in modum incipit Episcopus: Causam aduentus nostri nemo vestrum est qui ignoret, cum hæc Commissio iam non sit noua, sed vnius anni vertentis, atq; adeo per totum quasi orbem diuulgata, Cur autem hactenus effectum sortira non fuerit, nec hoc quidem ignoratis. De validitate commissionis non operæ pretium est, multis disputare, cum ex sententia senatorum Regni decreta, responso VVarsouiensi declarata, ac nunc tandem in conuentu generali confirmata sit: Quo quidem effectum est, vt ea quæ perplexa & difficilia videbantur, nunc planiora, & faciliora appareant, neq; aliud restat, quàm vt ea, quæ in mandatis habemus exequamur, quod prius facere voluimus quam re nobiscum communicata arbitrati estis, ante Commissionem ipsam nimis largam esse, nimis amplam, contra constitutiones, & priuilegia emanatam, in Regalis Maiestatis derogationem vergentem, personas etiam nostras suspectas esse, de quibus omnibus, cum extent Regiæ declarationes ea nunc in medio relinquimus. Antequam autem quicquam agamus, scire vos volumus, candido & sincero nos animo venisse, Regiam quoq; Maiestatem plus quàm amore patrono erga hanc suam ciuitatem affectam esse, deinde pro ratione instituti nostri pauca præfanda putauimus. Inter omnia mirabilia

opera:

opera nihil est mirabilius gubernatione populi quæ non humano, sed diuino consilio administratur. Deus supremus est omnium rerum gubernator, is in mundo inferiori in societatem gubernandi admisit Reges, & Principes. Regi igitur in omnibus obediendum, vtpote quem Deus monarcham in his partibus esse voluit. Cuius auxilium etiam inuocamus, vt & nobis & vobis in his actionibus, salutaria consilia suggerat. Quandoquidem autem nunc videtis, in quem lapidem impegerint illi, qui Commissioni Regiæ restiterunt: cauendum itaq; vobis est, ne iterum vos ipsi impingatis. Culpa certe calamitatis ipsorum penes nos non est, excluſi fuimus, non auditi, ac ne visus quidem personis nostris, in propria venientes non recepti, illi volebant prudentiores videri, quam ipse Princeps & Consiliarij. Nam cum Regia Maiestas adstricta sit ad conseruanda vniuscuiusq; etiam priuatorum iura, priuilegia, libertates, non debuit eius consilium in dubium vocari. Et nunc quoq; de ipsa Regia Maiestate, & nobis spem bonam habetote: Nam cum hæc eiusmodi ciuitas sit, qua regnum Poloniæ carere non potest, quæ esset causa perdendi vel affligendi eam? Cæterum quæ antea sunt commissa potestis nunc corrigere, si voluntati Regiæ vos accomodaueritis, ita omnia in bonum cedent: Si secus factum fuerit, non erit culpa penes populum, quem hisce rebus prætenditis, sed penes vos. Vos regere, illi regi debent: Audimus omnia consilia nostra in deteriorem partem detorqueri, quemadmodum nuper de iuramentis factum est. Ipsi antea dixistis plebem in tanta multitudine non posse coerceri, inuentum est hoc remedium Constitutionibus expressum, quo minus calumniandi causam hoc institutum sortiri debuit. Proinde ad diem Lunæ faciemus initium actionum nostrarum, ad quas auspicandas ciues, & plebem conuocate.

Ad ea cum Senatus paucis, quod in rem presentem vi-
debatur, respondisset, iubet in eum diem, qui Decembris

quintus erat, Ordines ex quibus constat publicum consilium more vsitato in curiam conuocari. Commissarij cum intelligerent ex ciuibus Centumuiros saltem tantum esse vocatos, postulant, vt in diem posterum vniuersus populus ciues omnes & opifices conuocentur. Visum erat ordinibus rem eam nouam esse, conuocata omni plebe facilè tumultum exoriri posse, omnes conuentiones, præterquam trium ordinum lege interdictas esse, itaq; petunt ne quid præter morem Maiorum admittatur. Animaduersum etiam fuerat, dum ingrederentur vrbem Commissarij Fridevaldum nebulonem pessimum, ciuitatis hostem & calumniatorē famulatui commissariorum sese ingerere, eum postulant Ordines ex ciuitate amoueri, ne malo suo, & auctorum suorum disceret calumnijs abstinere. Hæc cum per Senatum ad commissarios referrentur, illi non solum rationem eorum nullam habebant, sed eò interpretabantur, quasi rebellionis, & contraueniendi studio ista hæc excogitarentur, sic vt Episcopus quasi furijs incitatus in hæc uerba erumperet: Scio populum esse fidelès Regiæ Maiest. subditos, & vos terretis nos per populum, ne illis mandata Regia proponamus. Nos autem habemus expressum mandatum, plebem omnem conuocandi, & Principis voluntatem exponendi. Si quod est in ea re periculum, ego caput etiam meum sacrum obiectare non dubito. Episcopo furente cæteri commissarij, quod ad Fridevaldum attinet, respondent, nunquam eius actiones sibi placuisse, quoniam autem Regiæ Maiestati sic visum fuerit, vt eius officio fungeretur, non impedire se posse, priuatas actiones se illi interdicturos, in publicis & Regijs actionibus suo illum officio fungi debere. Verum cum ciues fremerent, & nonnulli Scurram illum, quamprimum Curiam ascendisset, securibus excepturi viderentur, tum quod ædibus in quibus versabatur, vim factam esse nocturnam, diceretur, vel potius quod male sibi conscius esset, clam nebulo discesserit, neque postea comparuit.

Sexto

Sexto igitur die Decembris, vniuerso populo, in curiam & forum conuocato, Commissarij cum Senatu & Ordinibus & cæteris ciuibus, quantum locus capere poterat, in conclaui curiæ maiori, quod ad forum spectat, vbi assidebant Episcopus, postquam Regiæ Maiestatis gratiam & clementiam verbis exposuisset, ita orationis suæ fecit initium: Sacra Regia Maiestas, qua est in subditos omnes paterna clementia & pietate, non subditi solum experiuntur, sed totus orbis Christianus nouit. Non est tyrannus, non iniustus, non ruptor legum, sed pius & clemens Princeps, qui non pro arbitrio, sed secundum leges imperat.

Motus itaque varijs subditorum iniurijs, ac nonnullorum in Ciues nimia potentia, & dominatu, in hanc suam ciuitatem nos misit ad omnes Ciues, contubernia, & vniuersum populum & nos venimus non ad pernitiem publici status, sed ad salutem, non ad violandá, sed conseruandá iura, priuilegia, & libertates, non cupiditati vlli, aut affectibus vllis obnoxij, nec vtilitatis propriæ gratia, sed ad declarandam clementissimam Regiæ Maiestatis voluntatem, & ad stabiliendam tranquillitatem publicam, non odium, sed amorem & beneuolentiam afferentes. Oramus igitur, & monemus, velitis de Rege nostro ita sentire, vt de Optimo & pientissimo Principe, de nobis autem nullam sinistram opinionem concipere. Proinde ex scripto quod recitabitur, plenius causam aduentus nostri, & Regiæ Maiestatis consilium intelligetis.

His dictis Abbas Oliuensis per Curiæ fenestram ad populum in foro stantem prolixum satis scriptum lingua germanica recitat, sequentis argumenti. Initio repetunt ea Commissarij, quæ VVarsouiæ & Lublini in eo commissionis negotio acta decretaq; sint. Deinde cum Regiæ Maiestatis consilium & voluntas sit, omnia omnino Ciuium grauamina aboleri, nec paucorum dominatu ceteros opprimi, primum omnium potestatem faciunt, omnibus

& singulis ordinibus contubernijs, collegijs, corporibus, fraternitatibus, tribubus, vt inter se pacifice conueniant, de Reipub. statu deliberent, quidquid sit grauaminum, quod emendatione indiget, inter se cõferant, & ad Commissarios deinde referant, Operam se daturos, vt ciues singuli libertatis & priuilegijs publicis in posterum secure vtantur fruantur. Secũdo loco ad Maiestatem, aiunt, Regiam varijs querelis delatum esse, quam iniquè nouæ exactiones tributa, operum publicæ cœteraq; eiusmodi insueta onera, per eos qui prætextu administrationis publicæ dominatum vsurparent, ciuibus imponant? Non obscurum esse, quantos hæc ciuitas prouentus, & reditus ex portorio maritimo bonis terrestribus, molendinis, accisis, vectigalibus, censibus, quotannis percipiat, ideoq; mirum esse, si expensæ pacis tempore considerentur, qui fiat, vt magistratus florentissimo Reipub. statu, tanto æris alieni onere ciuitatem implicuerit, adeo vt etiam ciuium res ac merces terra mariq; creditoribus sine scitu Principis oppignorauerint, Itaq; in mandatis se habere, rationes ab eo tempore quo redditæ non sint, annorum circiter octodecim à Senatu exigendi, easq; ad amussim examinandi. Tertio compertum esse Regiæ Maiestati, ex ipsorum ciuium querelis, in iure dicundo, & iustitia administranda, nec non in executione Regiorum decretorum, magnam esse Magistratus negligentiam, & ciuium iniuriam, Regia mandata, Regias saluorum conductorum literas, quæ non minima sint Regiæ superioritatis iura, contemni, vilipendi & proculcari, Qua in re si cui facta sit iniuria, sese vnius cuiusq; causam adituros, & lœsis iustitiam administraturos, Quarto ingens admissum esse facinus, & crimen lœsæ Maiestatis sacrilegio proximum docent, quod anno superiori Maiestatis Regiæ legati, & Commissarij sint exclusi, eius rei culpam à Magistratu, cui ciuitas concredita est, in populum conferri. Regem autem adduci non posse, vt existimet omnes eius fideles subditos, tam atrocis criminis esse participes, mandatum igitur sibi vt diligenter inquirant, & explorent, vn-

gubernatio

de ea

de eâ rebellio primum orta sit, qui auctores vel consultores extiterint, qui in eam rem consenserint, vel operam adhibuerint, eo nimirum fine, vt nocentes puniantur, innocentibus parcatur, & Regiæ Maiestati sua constet auctoritas. Tandem hortantur eos qui fidem & obedientiam Principi sui præstare cupiunt, ne quorundam perfidorum subditorum calumnijs moueantur, vel seducantur, qui Regiæ Maiestatis propositum, & Commissariorum actiones perperam interpretantur, & in pessimam partem maligne detorqueant. Non enim in ciuitatis perniciem aliquid agi, sed vt iniquus dominatus, sub prætextu magistratus, à paucis vsurpatus, qui libertati publicæ obest, abrogetur, non quod regia Maiestas tollere velit magistratus suos, qui vicem eius gerunt, sed in omnibus ex æquo ius dicatur, ac Tyrannides & oppressiones ciuium non vsurpentur. Si quis aliter de consilio Regiæ Maiestatis sentiat, eum regiæ Maiestatis hostem esse. Proinde se crastino die ad audiendas causas publicè adfuturos omnibusq; potestatem facere, libere se adeundi, & actiones suas contra quosuis, præsertim contra senatum proponendi.

Hæc prima quasi semina futurarum actionum in vulgus sparsa. Senatus & ordines his auditis, palàm Commissarijs ostendunt, Videri sibi capita proposiri scripti, ad denigrationem potius honoris & existimationis eorum, qui magistratum gerunt, composita, quam vt vel contuberniorum commodo, vel Reipublicæ tranquillitati conducant: quinimo aperte populum & contubernia contra Magistratum istis admonitionibus concitari. Conciliabula isthæc, quæ Commissarij libera esse velint, plurimorum hominum, plurihus in locis instituenda, rem esse summi periculi, & publicis constitutionibus repugnare, neq; rationis esse, vt opifices de republica deliberare possint vel debeant. Quod si aliter voluntati regiæ satisfieri non queat, id quidem se nunc admittere. Veruntamen per

per eam rem Ciuitatis iura priuilegia, libertates, consuetudines, quas ipse Princeps iureiurando sanciuerit, violari nolle protestantur. De exactionibus & oneribus ciuilibus, quod dictum sit, scire se, & palam esse, nihil horũ absq; publico instituì consilio, eamq; semper æqualitatem conseruari, vt ipsi existiment neminem ciuem bonum merito conqueri posse, tantum abesse, vt Commissarij magistratum iure quopiam Tyrannidis insimulare debeant.

Ad ea vero quæ de prouentuum abusu, de ære alieni magnitudine, & repressalijs, quas vocant adducantur. Senatus respondet magnam sibi iniuriam fieri, seq; sæpius publicas necessitates, priuatis suis sumptibus subleuasse, quam vt vel minimo denario se sciant abusos, ne dum vt Comissarij peculatum, vti inuunt, sibi iure impingere possint. Quidquid autem æris alieni contractum sit, id vel necessitate præteritorum bellorum, vel vsu Reipublicæ omnino exigente, maximam vero partem in commodum ipsius Regiæ Maiestatis ad res Lithuanicas & Liuonicas necessario disponendas, comparatum fuisse, quod plenius ex tabulis & rationibus publicis possit ostendi. Darent operam commissarij, vt Regia Maiestas ciuitati debitũ redderet, facile se rationes inuenturos æris alieni redimendi. Nam quod ad Repressalias attinet, nullum creditorem adeo stupidum esse, qui non optime sibi de expenso caueri velit, nec aliter certe nisi hac parte Regiæ Maiestati pecunias potuisse comparari. Atq; adeo hunc morem esse non ciuitatum solum, sed maximorum etiam Regum ac Principum, vt eo modo creditoribus caueant. Aspicerent ij, qui pecunias tractant, vel fœnori sumunt calendaria sua, quas sibi pignorationes, quas ad iurationes, quas non omittunt de bonorum quæ habent, habituriue sint, sed honoris etiam famæ, existimationis, vitæ denique salutis æternæ, quam sperant saltem, nec dum habent, cautiones videre licet? Neq; vero tanti rem esse periculi vires & merces ciuium, quantum nunc commissarij prædicent: Ita enim publicorum debitorum

bitorum rationes esse compositas ; vt stato die solutis vsuris, nihil scit, quod quisquam ciuium ideo rerum suarum pignorationem vel capturam metuat. Parum enim interesse, nuda promissione, an pignoris cautione quis obligatus sit, modo fidem bonam præstet. Enimuero quæcunq; ciuitas mutuam sumat pecuniam, sine pignorum mentione, neq; fidem seruet, quid obstat, quo minus creditor, ad ciuitates eius bonorum captionem suo iure procedat? Nemo prudens ignorat, non in literis, sed in ipsa fide hæc omnia esse posita: Rogant itaq; ne commissarij id quod in solius Principis vsum & vtilitatem fit, ex mero obsequēdi studio ad reprehensionem, ne dum in odium ciuium vocent, neq; sibi ex Regiæ Maiestatis dignitate videri rationes eius pecuniarias in vulgus spargi. Quinimo quod antea dictum est, si Regia Maiestas pari liberalitate ciuitatis fidem pro se interpositam redimere velit, illam ex ære alieno facile emersuram. Quod præterea de iustitia negligenter administrata, de Regijs mandatis, & publicis literis violatis adijcitur facile pati senatum, si quis hac in re iniuriam sibi factam existimat, vt id ipsum proponat, sine dolo malo, sine calumnia, senatu præsente, vtq; non minus in quauis causa magistratus rationes quam querelæ priuatorum audiantur. In ipsa causarum inuestigatione manifestum fore, quidquid sit iniustitiæ, quidquid iniuriæ in priuatorum actionibus, id totum ab aula Regia proficisci. Tot enim edi mandata, tot decreta sibimet contraria, tot inhibitiones, tot literas salui conductus, quot aureos quis numerare possit, & ibi nihil non venale esse, adeo vt hisce nundinationibus plane magistratus in prosequendo iuris ordine impediatur, nec interim ipsæ partes, præsertim qui causam bonam defendunt, ius suum consequi possint: Vt multo rectius sit concellariam aulæ regiæ reformari, quam huc reformationis ergo Commissarios mittere, vel magistratus officium in reprehensionem vocare, Quod præterea Commissarij exclusionem suam ad summum rebellionis crimen referant, meliora quidem Ordines sperare, & in Comi

vide pag. 112

sensu portorium vsitatum duobus denarijs augeretur, eaq; auctio in Maiestatis ipsius vsum cederet: Vt hoc citra præiudicium communis terrarum Prussiæ priuilegij fieret: Vt de suo prouentu quem antiquitus, habuisset, ciuitati nihil decederet: Vt vicissim grauamina quæ tum nominatim perscripta erant Principis auctoritate realiter mutarentur, & obrogarentur: Vt auctio portorij vel in decennium, vel quo ad in vitis esset Regia Maiestas determinaretur. Et his quidem capitibus Ordines placationis formam diserte conscribi volebant, Cæterum Commissarij contendebant, ex Principis dignitate non esse, neq; decere subditos, adeo strictim & expressis conditionibus agere cum domino, sed supplicando potius, quam licitando quod peterent, impetrandum. Interim nihilominus recipiebant, nihil fraudis vel præiuditij fore, de sola Principis persona rem omnem intelligi, nec in alium sensum quam Ordines sciuissent extendi debere, Promittentes insuper se se effecturos, vt grauaminibus memoratis ex Ordinum sententia remedium adhiberetur. Hoc maxime modo placationis forma, secundum Commissariorum voluntatem, conscripta fuit, quam cum Ordines postea per Internuncios suos ad Regem mitterent, diserte mandatum addebant, vt illa exhibita, literas simul reuersales reciperent, quibus de memoratis conditionibus expresse ordinibus caueretur.

Ex quibus manifeste liquet totam hanc placationis actionem ab initio non puram sed conditionalem fuisse, & ita quidem vt conditiones fermè non in Ciuitatis, sed in Principis præstatione consisterent, nimirum auctio portorij: temporis definitio, & grauaminum abolitio. Commissarij vero nunc demum conuentionem hanc aliter interpretantur, quasi portorij auctio non Principi solum defuncto, sed etiam successoribus eius, imo Poloniæ Regno perpetuæ præstationis ergo debeatur, promissionem quoq; suam de grauaminibus abolendis, plus nimio iam exte-

extenuant, & saltem non prorsus infitiantur. Hæc totius controuersiæ summa est, in hac omnis quæstio vertitur: Vtrum pure, vel conditionaliter, vtrum in tempus certum, an indefinite transactum sit, quod paulo nunc accuratius excutiendum est.

Iure constitutum & vsu receptum constat, vt in eiusmodi controuersijs tria probationum genera valeant, literarum instrumenta, testes, & præsumptiones, siue argumenta verisimilia. Instrumenta literarum in hac causa sunt Recessus siue acta publica, quæ tum cum vltro citroq; de placandi rationibus tractaretur per curates scribas, & secretarios iam antea conscripta fuerant, quam aliqua de conditionibus istis controuersia oriretur. His tractatus omnis vltro citroq; habitus & conditiones propositæ exceptæq; diserte continentur.

Est deinde ipsa placationis forma, scripto compræhensa, & vtrimq; comprobata. Ea placatio cum solo Principe Diuo Sigismundo Augusto contracta est, eius solius mentionem facit, de successoribus & Regno verbum nullum, Quin dubium aliquod est in hisce verbis: ipsi Regiæ Maiestati (aiunt enim illi Regem non mori, nec vnquam Regiam Maiestatem deficere) iam manifesti, iuris est, quod in dubio quilibet sit verborum suorum interpres.

Non igitur iniquum erit postquam calumnijs agi cœptum est, vt audiantur Ordines qui placationem scripserunt, de quo Rege senserint, Neq; vero quisquam est, qui non intelligat dictionem ipsi ex sua natura certam rem, atq; adeo præsentem ita demonstrare, vt ab alijs eam excludat.

Quod vid. pag. 114.

proponerent, iam de reformando publico ſtatu conſultarent, mox in ſugillandis rationibus & tabulis publicis operam facerent, interdum alias res immiſcerent, vel priuatorum inter ſe controuerſias, vel actiones in magiſtratum competentes examinarent: Itaq; melius fuerit, quo ſingula rectius intelligantur, vnum quodq; ſuo loco, certo quopiam ordine pertractare. Proinde Commiſſariorum actiones in hac ciuitate omnes, de quibus Gedanenſes hucvsq; vehementer conqueruntur, quaſi præter pacta conuenta ſecum actum fuerit, tribus potiſsimum partibus conſtat, Tractatu nempe placationis: priuatorum quorundam controuerſijs: Et reformatione, ex qua conſtitutiones aduerſariæ prodierunt, de quibus ſingulis ordine dicemus.

Quod ad primum caput attinet, initio Gedanenſes intellige re nequiuerunt, Commiſſariorum actiones ita diſpoſitas, vt vitia Reipub. emendarentur, ſed vt perturbatiora omnia redderentur: Nam cum primum vniuerſæ plebi ſcriptum iſtud propoſuiſſent, quo magiſtratus arguebatur quaſi iniuſte reliquos ciues opprimerent oneribus & exactionibus affligerent, quaſi ciuitatem ære alieno oneraſſent, & ciuium res prædæ creditorum expoſuiſſent, iuſtitiam non adminiſtraſſent, & his ſimilia, de quibus paulo ante dictum eſt, ſtatim eandem rem ſuam agere ceperunt, de ſuperiori excluſione, & in cauſa propria priuatam & plane ſuſpectam inter plebem inquiſitionem inſtituunt, qua cognoſcerent, quis in eam excluſionem conſenſiſſet, vel non: Quo pacto apparebat culpam omnem in detentos Præconſules, & conſulem & nonnullos alios priuatim deriuatum iri. Eo plane poſthabito quod in Comitijs publicis Ordines coniunctim factum agnouiſſent eiuſq; rationes & defenſionem propoſuiſſent. Enimuero inquiſitionis eiuſmodi ratio his in locis omnino videbatur noua & inuſitata, & ita quidem inſtituta, vt quilibet priuatus nedum vniuerſa Communitas, eam haud immerito repudiaſſet. Etenim homines clam, intera-

interdum etiam noctu ad examen accersebantur, ij plerumq; qui vel in Ordinum consilio publico non essent, vel qui cõsuevissent velut ex professo, non alias clam, sed palam Magistratum calumniari, de quorum inditijs, quid in tertij gratiam non facerent, conjectura difficilis non est. Quatenus autem hoc iure factum sit, hoc loco non est operæ pretium contendere. Inquisitione hunc in modum instituta, & ad omnium terrorem composita, cum pleriq; existimarent, nouas inde perturbationes oriri posse, interim mentio placationis obiter injiciebatur, nimirum longe vtilius esse Regiæ Maiestatis offensionem idoneis remedijs lenire, quam tantas eius negotij, quas secum trahebat, difficultates exhaurire. Hæc prima fuit Ordinibus causa, cum viderent, Inquisitionem eam rem esse periculi plenam & ad quorundam summum spectare discrimen, vt placationis ineundæ consilia susciperent. Quod cum absq; numeraria ratione confici non posset, ideo rebus deliberatis semel ac iterum summas pecuniarum haud contemnendas Commissarijs placationis nomine proponunt, quas ipsi plane repudiant & tandem multis vltro citroq; disceptatis, animi sui sententiam explanant, vnam eamq; solam placandi rationem esse, nimirum, vt Regiæ Maiestatis aliqua portio portorij maritimi concedatur, hoc ni fiat ne decem quidem auri tonnis placationem impetrari posse. Vbi vident Ordines rem omnium grauissimam aliter expediri non posse, & essent insuper alia grauamina, quæ vehementer ciuitatem premerent, quibus vna eademq; opera liberari cupiebant, ad consultationem de portorio animum adjciunt. Præuidebant quam esset res periculosa, quæ difficultates inde essent orituræ, quas re ipsa nunc experiuntur. Interim confidebant, si semel gratiam Principis recuperassent, eidem harum rerum difficultatem exponi, & deinceps ad alias rationes animum eius commoueri posse, Itaq; re diu multumq; disceptata, cum Commissarijs tandem his legibus transigunt: Vt Regiæ Maiestati centena millia florenorum darentur: Vt cum Maiestis eius con-

 sensu vid. pag. 108.

tijs Lublinenſibus rationes eius rei grauiſsimas luculenter fuiſ-
ſe propoſitas, nec vlla opus eſſe inquiſitione, cum vniuerſi ciues
factum iam pridem agnouerint. Nunquam certe neq; men-
tem neq; voluntatem cuiuſq; fuiſſe ea perpetrandi, de quibus Ge-
danenſes nimis profecto contumelioſis actionibus ſint traducti.
Ante auditam iſtius infauſtæ Commiſsionis famam in ciuita-
te, omnia fuiſſe pacata & tranquilla, tum in ipſo quoq; initio, cum de Commiſſariorum aduentu conſtaret, nihil motum: ſuccedentibus demum actionibus Elbingenſibus, tantum exortum populi fremitum, hos fuiſſe vultus hominum, eas plebis voces, eas aduerſariorum molitiones, vt nemini non verendum fuerit, Ciuitatem proprio ſanguine interituram, in ea trepidatione neceſsitatem ipſam, & temporum rationem, Ordinibus ea conſilia extorſiſſe, quæ vel inuitis ineunda fuiſſent, Verum cum præterita non tam facile corrigi, quam reprehendi poſsint, Ordines petere ne iſthæc aliter ipſi quam geſta factaue ſint accipere, neue ad vllam ſuam iniuriam vel contumeliam interpretari, tum etiam pro detentis Præconſulibus & conſule, quo citius liberentur intercedere velint. Tandem orant, vt rationem aliquam habeant Commiſſarij, honoris & exiſtimationis publici magiſtratus, neúe eum indicta cauſa tam odioſis verbis diffament, Eos qui magiſtratum gerunt, à Regia Maieſtate legitime conſtitutos, rationem adminiſtrationis ſuæ reddere paratos eſſe: quod ſi ad officium hoc gerendum fortaſſe minus idonei videantur, eos non recuſare, quo minus arbitrio Principis alijs potioribus locum relinquant, nedum vt in ciues quemuis dominatum vſurpare concupiſcant.

Ad hæc Commiſſarij: Etſi nonnulla (inquiunt) quæ dicta ſunt, odioſa videri poſsint, ſpectant tamen ad bonum publicum, neq; in deteriorem partem accipi debent, Rex noſter adeo eſt

beni-

benignus & sollicitus de commodo subditorum, vt non interi-
mirtat, de salute ciuitatis huius assidue cogitare: Nunc quando-
quidem huc venimus, significabimus eius Maiestati nos reue-
renter & honorifice exceptos, & vos eius Maiestatis mandato
tanquam fideles subditos obedire paratos esse, Id tam detentis
Præconsulibus, & consuli quam toti ciuitati vtile erit, Quod ad
excusationem facti prioris attinet, meminimus nos esse Christia-
nos, multa nos ipsi debemus Deo si volumus remissionem ha-
bere, oportet vt alijs etiam remittamus. Nihil admissum cur
excluderemur, neq; vos accusamus, delictum in auctores re-
dundat, nos iniuriarum obliuiscimur, Res certe maxima com-
missa est, eius fama iam quasi totum orbem peruagata est, versa-
tur in eo superioritas Regiæ Maiestatis, dignitas & auctoritas
Senatus Regni.

Ideoq; mandatum habemus inquirendi in auctores, Nec
enim vero simile est, omnes in illud tam malum facinus con-
sensisse. Vt vt sit priuatos nostros affectus ponimus. Vti-
nam isthæc excusatio crimen totum euacuaret, Intercessionem
pro detentis priuatim ex persona nostra non denegamus, & da-
bimus omnem operam vt eliberentur, modo ipsi etiam velitis.
Præterita corriguntur satisfactione, modestia, obsequendi stu-
dio, itaq; de rationibus cogitate, quibus Regem profecto vehe-
menter offensum leniatis.

Longum nimis esset singula describere, quæ verbis vltro
citroq; commutata fuerunt, præsertim quod mera verba fue-
runt & effectum nullum habuerunt, quæ Commissarij suis con-
lijs fabricaban[illegible] & extant eius rei acta publica; Multo vero ma-
gis inde eorum esset Commissariorum actiones eo quo gestæ sunt
ordine persequi. Ita enim erant confusæ & perturbatæ, per-
plexæ & inconstantes, vt vnius sœpe diei spatio, nunc publi-
cam nunc priuatam rem gererent, iam de Principe placando

 propo-

vid. pag 110.

Quod etiam euidentius apparet ex eo, quod paulo post eidem Regiæ Maiestati se eo cedere profitentur Ordines, vt vnam eandemq; personam satis liquido demonstrauerint. Tandem expressis verbis placatio sic conscripta est: Nisi in his tantis rerum & temporum necessitatibus, ac grauaminibus Ciuitati consuleretur, ipsimet commissarij pro sua prudentia expendant, quam id ciuitati ad conseruandam illius alioquin afflictæ in columitatem, & implenda promissa, futurum esset graue nimis ac difficile. Hæc verba quamquam expressam conditionem non importent, & grauaminum abolitio, suadentibus ita Commissarijs supplicandi modo petita esset, tamen præsumptionem expressæ conditionis aperte ostendunt: vtpote nisi illud fiat, nec hoc quidem in facultate positum. Quod ipsum Ordines extra scriptum istud expressis simul verbis exceperunt testatò, nisi grauamina tollerentur, ne se quidem ad præstationes suas obligari velle. Testatur idem manifestè postremum ferme scriptum, quod in hisce tractatibus, cum de exactore Portorij disceptaretur, Commissarijs ordines exhibuerunt hisce verbis: Non dubitant Ordines, Commissarios simul meminisse, quid in isthac tractatione à Regia Maiestate humillime rogatum fuerit, vt à suis grauaminibus Ciuitas liberetur, Et quia nihil adhuc experiuntur solatij Commissarijs benigne expendendum relinquunt, non posse nunc Ordines aliquid amplius facere, priusquam de facto & re ipsa in omnibus releuarentur. Omnino etiam necessarium existimant, vt prius idoneè publicis documentis sub Regni sigillo, in ipsis Regni Comitijs ciuitati caueatur. Quibus si Commissarij nondum acquieuerunt Ordines itidem nunc, vt antea totius negotij tractatum ad Regiam Maiestatem integrum arbitrantur referendum. Astipulantur etiam ipsorum Commissariorum verba, quibus publice prædicabant, nullam esse

fraudem

fraudem in his conuentionibus, ordines rem integram in manu habere, nec quicquam à se daturos, priusquam vicissim illis idoneè cautum fuisset.

Sin etiam testibus res indigeat testimoniorum ratio eorum, inter quos sine alijs arbitris acta res fuit conscientijs nititur. Qua in parte Commissarij certe testes simul & iudices esse non possunt. Ac iniquum sane foret, toti Communitati plurimisq; viris bonis & honestis qui sunt in Ordinibus nec ex ea quidquam emolumenti priuati sentiunt, non æquè fidem adhiberi, ac ipsis Commissarijs, licet in sublimiori dignitate constitutis, non tamen vno nomine suspectis: Enimuero si in superioribus actionibus Ordines suo iure vti potuissent, non defuissent exceptiones legitimæ, quibus contra personas illorum vti potuissent, quinimo iuris dictionem illorum, & auctoritatem recte recusassent, Vt vt sit, in hac actione idem ius recte valere dicitur, quod inter priuatos receptum est, quoties alteruter pactis conuentis contradicit, & quod interdum etiam inter Dominum & subditos, si eo casu res stetirit, vsurpatum est.

Præterea præsumptiones sunt ex Ordinum parte satis manifestæ, quibus vero simile fit conditionaliter non pure contractum fuisse. Primo quod ob exclusionē Commissariorū cū solo Principe defuncto transactum fuerit. Testati sunt hoc ipsimet Commissarij cum ad placandum Principem Ordines his publicè verbis hortarentur: Iniuria nobis non est facta, sed Principi, priuatos nostros affectus ponimus, meminimus nos esse Christianos, multa ipsi debemus Deo: si volumus remissionē habere, oportet, vt alijs etiam remittamus, de Principis offensione saltem agitur, si Princeps modo placetur, iam omnia erunt tranquilla, & in priorem statum restituta.

Deinde cum Ordines priores placationis conditiones duorum generum certis pecuniarum summis certis temporibus definirent, non est verisimile, cum in tertio genere nihil noui fieret, quam vt

portorij auctio adijcetur, voluisse hanc præstationem Ordines esse perpetuam: Et econtrario si isthæc placatio cum consensu Ordinum ad successores Principes, vel ad Regnum etiam destinata fuisset, fieri non posset, quin Commissarij vel vno verbo eius rei mentionem habuissent. Nam & priuati homines in huiusmodi contractibus, non sibi solum, sed etiam hæredibus & successoribus cauere solent.

Præterea nec æquum nec vsitatum est, vt offensio, quæ inter Dominum & subditum ex vno actu, qui solam Domini personam attingit nata fuit, & æquis postmodum conditionibus transacta, ad successore pertrahatur, nisi id in transactione nominatim excipiatur. Enimuero isthæc offensio statim ab initio, priusquam ad tractationem peruentum esset, ad crimen læsæ Maiestatis referri cœpit, Atqui ipsius Regni constitutionibus cautum est, quod crimẽ læsæ Maiestatis in solius principis persona committitur, nec in alijs cuiuscumq; status consiliarijs Commissarijs, Dignitarijs cõmissum dici potest. Ex quo sequitur nec eius quidem criminis placationem ad quoscunq; alios pertinere. Ex diuerso autem cum Ordines facti sui rationes grauissimas redderent, & defensionem in publicis comitijs proponerent, quæ tamen in recenti adhuc animorum exacerbatione parum valuit, plane non est verisimile, illos qui se innocentes dicerent, eam inire placationis rationem voluisse, quæ cum onere perpetuo, & sui apud posteros infamia & dedecore coniuncta esset.

Tandem non erat in Gedanensium potestate, nec illorum fidei conueniebat quidquam in præiuditiũ priuilegij communis terrarũ Prussiæ committere, quod ipsum in placationis formula nominatim exceperunt. Ex quo certissime consequitur ad tempus saltem auctionem portorij fuisse contractam. Etenim perpetua auctio, & priuilegij communis integritas, res sunt inter se penitus ex diametro pugnantes. Ex quibus omnibus manifestè liquet, placationem hanc ab initio vim perpetuæ obligationis non habuisse, nec purã,

sed

sed mere conditionalem fuisse, nec ad alium quemuis extra personam defuncti Principis extendi potuisse.

Cæterum & illud nemo negare potest, quod hæ placationis rationes effectum suum nunquam adhuc sortitæ fuerint, & conditiones vt plurimum ex defuncti regis parte defecerint, sic vt alterius partis nulla sit obligatio, cum per alteram steterit quo minus conditionibus interpositis satisfieret: Etenim quod præcipuū est, nec auctio portorij consecuta est, nec ex ea quidquam adhuc in defuncti Regis vsum deuenit, atqui per illum stabat, vt auctio non indiceretur.

Grauamina vero quæ excepta fuerant, adeo abolita non sunt ex promisso, vt etiam postea multis modis fuerint aucta & cumulata. Nam vt cætera iam silentio prætereantur, propter speculatores saltem, quos Regia Maiestas cum summa ciuitatis molestia alebat, Ordines in Dania centena thalerorum millia luere coacti sunt, præter ingens illud damnum, quod ex nauium & mercium ferme triennali detentione ciuibus inflictum fuit.

Deinde cum inter cætera Commissarij recepissent bona ciuitatis publica ab executione statuti Alexandrini, quod alioquin nihil ad nos pertinet, libera & immunia fere: nihilominus tamen statim postea pleraquè Ciuitati executionis prætextu abiudicata fuerunt, illis ferme solis auctoribus, qui ea in vsum suum à Rege exorauerant, & inter hos Commissariorum nonnulli, qui ea sibi dari, quam Gedanensibus conseruari malebant.

Præterea nec literæ quidem Reuersales, elicita per dolum iam pridem placationis forma, Ordinibus in eam transactionem datæ sunt, quantumuis eas Commissarij certo promisissent, & Ciuitatis Internuntij sæpissime desiderauerint.

Postremo in his actionibus non minus quam in cæteris, quæ bonæ fidei sunt, necessum est attendi non solum quid ex sponsionum formula quiuis debeat, sed etiam, quid Reipub. con-

ducat atq; portorij auctione perpetua nouas exactiones contra commune totius Prussiæ priuilegium introduci manifestum est. Deinde ob nouas exactiones commertia facile alio ad locum liberiorem transferri possent, cum insigni tam Polonorum iactura, quam ciuitatis huius quæ mercimonijs vt plurimum constat, detrimento.

Demum illud etiam consequens erit, vt quemadmodum Gedani Principum aliorum subditi contra veterem morem duplici onere portorij afficiantur, ita eodem exemplo futurum, vt nostrates in aliorum Principum regnis, dominijs, & Ciuitatibus, contra veteres libertates similibus nouis exactionum generibus subijciantur. Hæc cum Serenissimo Regi defuncto post Commissariorum actiones ad animum propius reuocarentur, noluit rem tam periculosam ad consequentias pertrahi, sed alijs potius rationibus sibi satisfieri benigne voluisset, nisi morte præuentus rem imperfectam reliquisset.

Et quibus omnibus facilè potest intelligi, quod in hoc placationis tractatu, non solum ea quæ conditionaliter acta fuerant, in puram obligationem contra mentem Ordinum deriuari cœperint, Sed etiam tota pertractatio nõ releuandæ ciuitatis causa, sed magis magisq; opprimendæ suscepta videri possit. Etenim cũ Ciuitas ære alieno tantopere liberaret, quod vt plurimum in vsus Serenissmi Regis defuncti contraxerat, commodius vtiq; fuerat, & Commissariorum offitio, quod præ se ferebant conuenientius cum Ordinibus de remedijs exoluendi æris alieni consultare, quã nouis pecuniarũ erogationibus Ciuitatem magis onerare, vel publicis prouentibus tam graue præiuditium inferre.

Secundum caput actionum Commissorialium de priuatis controuersijs supra constitutum erat. In quo quamquam moribus harum terrarum non est receptum, vt ex Regno Commissarij mittantur ad priuatorum controuersias, Eius enim cogni-

tionis

tionis causa, iudicia cum suis instantijs constituta sunt, Ordines tamen hic non tam de nouitate rei, quam Commissariorum Decretis iniustissimis conqueruntur, quæ partim in præiuditium iuris publici, partim in magistratus despectum fuisse promulgata, sequentibus exemplis manifeste demonstratur.

I.

Causa Stormiana.

COntrouersiam habuerat Senatus cum Christophoro Stormio complures iam annos hac occasione exortam, quod cum Georgius Schultz Gedanensis eiusdem Stormij fratrem interfecisset & ob eam cædem absens proscriptus esset, Diuus autem Sigismundus Augustus ad intercessionem plurimorum Regni procerum eidem Georgio Schultz cum iam vltra annum & diem proscriptionem passus esset, ex plenitudine Regiæ Maiestatis capitalem pœnam remisit, eaq; ratione proscriptio iussu Principis abolita fuit, Stormius qui Principis indulgentiam, & procerum intercessionem susq; deq; faciebat, quinetiam contumelijs proscindebat. Senatum & Scabinos, quasi denegata aduersus fratris homicidam iusticia ad iudicium Regiæ Maiestatis euocauerat. Vbi causa post mortem interfectoris [illegible] multos annos ventilata & largitionibus Stormij quoquo modo suffulta fuit, donec tandem in nouissimis Lublinensibus Comitijs decretum in Stormij contumatiam, termino legitimo senatus obtinuit, quo perpetuum eius causæ silentium Stormio imponebatur. Commissarijs autem vrbem ingressis Stormius contrarium decretum clam, furtim, & meris largitionum corruptelis elicitum exhibebat, & eius executionem vrgebat. Ac cum in decreto Senatus per Scribam iuditi jj Regij commissus error esset, in diei notatione, continuo Commissarij occasionem eam maleuolentiæ suæ arripiunt, ac non attento eo, quod error Scribæ tam Regiæ Maiestatis quam notarij Iudicia-

tis Brixij testimonio diserte doceretur. Decretum regium pro senatu latum retractant, & Stormij obreptitium confirmant, contra manifesti iuris præscriptum, quo disponitur ut obreptitia decreta locum non habeant, & quod error veritati nunquam præiudicare debeant. Quin illud etiam non parum eos à veritate abduxisse credibile est, quod isthæc erat prima omnium causa illorum cognitionis. Itaq; cum iam pridem clamitassent. Ciues à senatu varijs iuditijs opprimi, quos ab iniurijs se vindicaturos mentiebantur, minime dubium erat, quin Senatus prima causa, quæcunq; tandem ea esset, ad stabiliendam Commissariorum iurisdictionem, esset condemnandus. Vt interim in medio relinquamus, an Stormij marsupium apud famelicos impensi quippiam fecerit.

II.

Mandatum in causa Cinerum.

NON semel eodem tempore Commissarij magistratum durioribus verbis obiurgabant, quasi mandatis Regiæ Maiestatis omnino non parerent, & ea non sine despectu Principis parum facerent, quoties eam ob rem aliqui conquererentur. Interim in hac causa sibimet ipsis contrarij, Senatum quia mandato Principis, speciali eius iussu edito, & manu augustali subnotato paruissent condemnarunt. Causa talis est. Emerant aliqui ciues Gedanenses Lublini cineres à Iudæo quodam eosq; traditos acceperant, & pro ijs pecuniam exoluerant: Cineribus huc aduectis statim superuenit Regiæ Maiestatis mandatum eiusdem sigillo & manus subscriptione munitum, quo significabat Regia Maiestas cineres eius esse proprios, & à Iudæo furtim & in fraudem Principis alienatos, iubebaturq; Senatus cineres Regio seruitori ad hoc misso, citra quampiam tergiuersationem tradere,

dere, indicta mulcta decem millium aureorum Vngaricalium, non obstantibus quibuscumq; literis in contrarium emanatis vel emanandis. Cui mandato Senatus omnino sibi parendum existimabat: quippe cum ipsius Principis res ageretur, ipsius etiam propria iussione serio interueniente.

Vbi vero Commissarij aduenissent, Cinerum emptores Senatum in ius vocant, ob merces extraditas, quas illi suis nummis coemissent. Commissarij senatum ad cineres reddendos vel damnum resartiendum condemnant, quasi pluris emptorum ius, quam mandatum Principis facere debuissent. Quam tamen sententiam vt alia multa Regia Maiestas postea vel retractauit, vel negligenter in partem reiecit.

Ita ferme vtrimq; peccari solet, siue mandatis obtemperetur siue minus, idq; eo maiori cum tædio et damno quod alioquin tanta mandatorum, inhibitionum & similium prodire solet copia & diuersitas, vt magistratus sæpissime dubitare possit, quam in partem salua conscientia, potius inclinandum, vel quo pacto partium desiderijs recte satisfaciendum sit.

Commissariorum saltem ingenium hic videre licet, qui si Senatus mandato regio non paruissent, in tam aperta & seria iussione, dubio procul ad læsæ Maiestatis & rebellionis crimen rem adscripsissent: Sic in vtramq; partem in senatus inuidiam & obtrectationem, decretorum suorum cothurnos habebant fabrefactos.

III.

Causa Muggenhalensium.

ILlud autem quod sequitur manifesto fuit inditio, nihil aliud penè Commissarijs fuisse propositum, quã vt eiusmodi decretis non solum Magistratus auctoritatem prorsus euerterent & iura priuatorũ proculcarẽt, sed eiã ciuitatis priuilegia publica manifestissimis

ssimis præiuditijs opprimerent, vti in hac causa factum apparet. Mulier quædam inter colonos Muggenhalenses edita parentibus defunctis orba remanserat, parentes grande æs alienum reliquerant, Itaq; tutores, vt creditoribus satisfacerent coacti sunt villam vendere, quod æri alieno supererat in vsum pupillæ conuerterunt. Tutoribus diu post mortuis, illa vbi adoleuit paternæ villæ possessores, qui iam à secundis auctoribus emerant, tanquam suorum bonorum vsurpatores conuenire cœpit. Vbi in ius ventum est, illa quod nullum ius haberet, nec quidquam quod intendebat probaret, tanquam temere litigans condemnata ad Regem prouocat, Senatus prouocationi deferre noluit, quoniam Ciuitati priuilegium est ne colonis appellatio concedatur. Commissarij vero causa denuo obiter, audita saluam appellationem mulieri decernunt, quam Senatus antea iure suo denegauerat, mulieri factam iniuriam clamitant, ita ciues veluti seruos opprimi demonstrant, addunt calumniosam interpretationem, quod mulier ciuis esset non colona, in quam priuilegium extendi non possit. Eo interim suppresso quod cœptæ litis tempore ciuis non fuerat, sed mere colona & nata & alta: quodq; priuilegium non colonos saltem, sed multo magis eius fundi colonarij de quo hac in causa potissimum agitur, concernat, Equidem alij plures tam in senatu quam inter ciues, qui fundos à ciuitate iure colonario possident, quamuis ciues sint, nihilominus cum de ijs fundis contrauertitur priuilegio appellationis non vsurpandæ, æque vt coloni sunt obnoxij.

IIII.

Causa raptoris Angli.

HOc quoq; cum insigni priuilegiorum præiuditio coniunctum est, cum quis peregrinus qui ciuitatis iure sine Ordinum consensu gaudere non potest, ciuis honesti filiam contra propinquorum & tutorum voluntatem & consensum extra

ciuita-

ciuitatem seduxerit, ludificatus fuerit & clandestinum connubium fecerit, eo facto non modo non licere magistratui ex plebiscito præscripto, in eiusmodi delictum animaduertere, sed potius etiam licere delinquenti in Ciuitate conuersari, & rem familiarem eadem cum ciuibus libertate exercere, quod Commissarij in persona eius Angli de quo superiori libro inter Accusationis capita satis abunde dictū est, cum apertissimo tàm plebiscitorum, quàm priuilegiorum præiudicio & ipsius Regiæ declarationis vilipendio, & cum summa publicæ honestatis iniuria constituerunt. pag. 44

V.

Causa Simonis Schuuederi.

HOC quidem ex superioris causæ licentia minus mirum, non minus tamen exemplo graue est, quod sequitur. Simon Schuuederus notæ improbitatis homo adolescentulæ, cui stuprum obtulerat. De quo per vim illato accusabatur. Puella quidem violenter sibi illusum docere non poterat. Verum stuprum ipsemet fatebatur. Scabini ad exemplum pertinere rati, ne stupra impunè committerentur. Stupratorem ad carceres sex septimarum condemnant, leni satis iudicio in eum, qui duriora commeritus esset. Pollicetur ille se iudicato satisfacturum modo liceat sibi sarcinulas interim suas domi componere, constituit fideiussores, ijsdem manu stipulata fidem dat, se ante noctem in carcerem iturum: Vbi vix pedem à iure conuertit extra vrbem se proripit, & circa illud ferme tempus quo ferebantur Commissarij accedere, literis salui conductus Regij munitus reuertitur. Re ad commissarios delata, decernunt ipsi, videri sibi non leuissimam iniuriam Scabinos illi fecisse, qui puellæ stuprum intulerat, quod eum ad carceres condemnassent, quoniam stuprum violentum non fuisset probatum. Quasi vero stuprum nisi violentum sit omnibus impune pateat. Atque scelus postquam ludificasset suos, suæ

virginem, insuper non multum pensi R spon-
habuerat fidem stipulatâ manu datam
fallere & fideiussores

sponsioni obnoxios relinquere. Quo facto tamen à Commissariorum patrocinio & beneuolentia minimè fuit excluſus, ſed ita humaniter habitus, & in Abbatis famulatum adoptatus, dignus certe hero ſeruus, vt rem eam à ſe quaſi non male geſtam fuiſſe, perſuaſum habuerit. Ita ne crimen quidem ullum quod in corpus ingenuæ virginis committitur, tantum Commiſſarijs videri potuit, vt non magiſtratum in ea re conuictis & confeſsis iniuriam feciſſe decernerent. Egregij vero virginalis pudicitiæ cuſtodes, qui quod alijs impune eſſe volunt, ſibi quoq; indulgeri velle non obſcure demonſtrant.

VI.

De ſpeculatoribus ſupplicio affectis.

ILlud horrendum prorſus & abominabile, ne dicam alienum ab omni pietate, cui tamen impenſe ſtudere videri volunt iſti religioſiſsimi, quod Commiſſarij decernebant contra Senatum & Scabinos vt vndecim ſpeculatoribus, de quibus alio loco plura dicta ſunt, qui ob latrocinium nocturnum affecti ſupplicio fuerant, & eorum capita exempli ergò, quod latronum eſt encomium, paliſſuffixa, etiam honorem haberent, & reliquias ſolenniter funerarent. Nimirum vt in ea Commiſsionis affectata poteſtate nihil reliquum fieret, ad magiſtratus & vniuerſæ ciuitatis non modo contemptum & iniuriam, ſed ſummam etiam iniuriam. Faxit Deus vt quiſquis latronum oſſa religioſe legerit, in eorum locum & ſtationem ſuccedat. Enimuero quid hoc aliud eſt pro tribunali decernere, quam non ſolum ſacroſanctam iuſticiam ridere, ſed furibus & latronibus etiam honores diuinos polliceri? At me hercule eoſmet iſtis paliſ ſuffixos oportuit, qui tanto cum ipſius honeſtatis & iuſticiæ dedecore facinoroſiſsimum quemq; ad palos inuitant.

Cauſa

VII.

Causa Lanionum.

VT autem ad dissoluendam Ordinum ciuitatis concordiam nonnulla contubernia ad litem Magistratui mouendam incitarentur, haud alio sane proposito factum apparet, quàm vt simultatis inter Magistratum & ciues semper aliqua superstet materia.

Lanionum contubernio mansi quatuor agri passus iam inde à Cruciferorum imperio, iure perpetuæ conductionis annuo censu scilicet erant locati. Hi mansi cum vicinis aquarum inundatione, multum iam temporis steriles & inculti fuerant, sic vt intra septuaginta circiter annos laniones canonem seu censum Ciuitati non soluissent, quem annuatim debebant, Visum itaq; fuit Senatui mansos eos ad frugem perducere, & primum lanionibus ratione veteris illius iuris habita, agri illius melioratio proposita fuit.

Sed cum illi sumptum eam in rem facere nollent, & ius suum pro derelicto iam dudum haberent, ijdem mansi publice fuerunt proscripti, si quis illorum meliorationem, census annui pacto, suscipere vellet. Cum omnes alij difficultate impensarum absterrerentur tandem Præconsul Constantinus Serberus mansos eos excolendos conduxit.

Is ex lege locationis istius non exiguas fecerat impensas, multo labore fundum ad frugem aliquam meliorem perduxerat, eoq; modo annos circiter viginti sine vllius hominis interpellatione possederat.

Iam autem cum ob Commissionis huius negocium Reipublicæ causa in Polonia captiuus detineretur, Laniones eam occasionem arripientes coram Commissarijs à quibus ad hoc ipsum excitati fuerant conqueruntur, quod iure proprietatis quatuor isti

manſiſſent ad contubernium ſuũ pertinerent, & quod ipſi per vim ab illorum poſſeſsione deiecti fuiſſent. Idcirco Commiſſarij negocio nondum perſpecto, neq; ſatis cognito, multo minus poſſeſſoris abſentis impedimento legitimo attento, manſos eos Lanionibus adiudicant, & immiſsionem in bona decernunt, Quod vtrum in maiorem Præconſulis captiui, an ſenatus inuidiam perpetratum fuerit, eiusdem planè rationis eſt, Regia Maieſtas certè non multò poſt Præconſulem in integrum reſtituit. Lanionibus autem ex hac Commiſſariorum indulgentia, tanta animorum acceſsio facta eſt, vt non in hac ſolum cauſa Maieſtatis Regiæ mandatis & decretis nimio plus inſolentes ſe geſſerint, ſed etiam cœteris in rebus, officio & fidei ſuæ conuenientibus, non ciuilem ſolum obedientiam, ſed omnes etiam leges plebiſcita, iura, priuilegia, quantum in ipſis eſt, freti patronis illis, quos interim maiore quam boues ſuos impenſa ſaginant, in hunc vſq; diem petulanter proculcauerint.

× neglectis

VIII.

Contractus Braſeatorum.

EIusdem generis illud eſt, quod in ſummam Ordinum offenſionem, coutractum eum ſolennem qui poſt varias diſcordias, actiones, & controuerſias iudiciales tam in aula, quam pro arbitris ~~qui~~ multos iam annos ventilatas inter Senatum & braſeatores, concordiæ cauſa, auctoritate & ſenſu omnium Ordinum vtrimq; initus, verbis, literis, ac ſigillis publice confirmatus fuerat. Commiſſarij ad vnius & alterius leuiſsimorum hominum nudam calumniam, quorum alij ne ſigilli quidem & ſubſcriptionis ſuæ rationem habebant, alij priuatum ſuum commodum publico potius ducebant, non inſolenter [magis, quam impiè reſciderunt, eoq; modo nouæ cuiuſdam ſimultatis occaſionem inter ſenatum & Corpus braſeatorum ſtudioſe reliquerunt. Nimirum vti Lanionnes carnem, ita braſeatores quod potui ſit, abunde ſufficere poſſint.

× per

Cauſa

IX.

Causa Iohannis Philippi.

IN eodem negocio Braseatoris cuiusdam defuncti filius Ioannes Philippus præter morem suæ conditionis arrogans, fatuus interijt, & nullius salis, quamquam eius collegij ius non haberet, nouam tamen eo nomine pro Commissarijs instituit contra Senatum querimoniam. Aiebat superioribus annis cum braseatorum contubernales in curiam iussu magistratus fuissent vocati, se, qui non vocatus in consilium venisset, imperio Clefeldi proconsulis curia egredi iussum esse. Quam rem cum insignis iniuriæ loco recenseret. Senatus Commissarijs statutum Diui Sigismundi proponebat, quo expressè cauetur, ne quis braseatorum numero & iure habeatur, nisi ius & numerum à Senatu impetrasset, eaq; de causa nullam iniuriam illi factam esse, quia non vocatus ad consilium accessisset, nec in braseatorum numero esset. Ibi tum reuerendissimus (si Dijs placet) episcopus pro sua eximia modestia, proiecto statutorum Regiorum volumine, at nos inquit decernimus illum esse braseatorem.

Hæc & similia decreta (longum enim esset omnia recensere) singulari studio contra magistratum edita, non obscure demonstrabant, Commissarios auctoritatem suam pluris facere, quam omnia Ciuitatis iura, priuilegia, statuta, consuetudines, & magistratus dignitatem. Sanè ipsa Regia Maiestas cum detenti Præconsules, & senator domum remitterentur, disertis postea verbis ostendit, Commissarios aliquanto plus quam deberent egisse, nec à Principe mandatum habuisse, vt priuatas controuersias cognoscerent. Cuius rei testimonium sub ipsius Regiæ Maiestatis sigillo & manu vidimus produci.

Tertium caput nobis erat propositum, vt de Commissariorum constitutionibus diceremus. Sunt enim illæ quasi totius

totius operis tam eleganter elaborati coronides dignissimæ. Postquam igitur Commissarij placationis tractatum ferme iam peregissent, idem quod initio fecerant, denuo repetunt, multos in administrationem Ciuitatis errores irrepsisse, quos emendatione opus habere existiment, itaq; cupere se reformare statum Ciuitatis, & bonum ordinem in rebus omnibus constituere, ex omnium Ordinum, consilio & consensu, non ex suo ipsius solum proprio motu, ad conseruandum Ciuitatis statum tranquillum absq; vlla iurium, libertatum, priuilegiorum & receptarum consuetudinum derogatione, quæ sancta & intacta esse uellent, Esse enim se conseruatores legum non violatores. Exhibebant deinde Ordinibus capita quædam, velut ad reformationem spectantia, postulantes vt de singulis seperatim sententiam dicerent.

Ordines in nitentes tamen priuilegio Ciuitatis Cazimiriano cuius vigore plenissimam habent potestatem, leges ciuiles condendi, & vitia Ciuitatis emendandi, nec non responsis Regiæ Maiestatis, quibus præscribitur, vt bis in anno Conuentiones Ordinum statis temporibus habeantur, ad constituendas res ciuitati necessarias, sententiam suam de ijsdem capitibus explicant, addunt grauamina quædam quæ maxime ciuitatem vrgebant, quorum emendationem desiderabant. Ad quæ tamen nihil à Commissarijs responsum fuit, nedum vt quicquam illorum in meliorem statum reduceretur. Tandem cum alios quosdam articulos ad reformationem spectantes à Senatu accepissent, eos etiam Scabinis & Centumuiris exhibent, postulantes vt singulæ tribus, & singuli quadrantes seperatim ad proposita capita responderent, nec inter se mutua communicarent consilia, nec ad Senatum more solito suas referrent deliberationes, sed vt ipsis Commissarijs cuncta sigillatim exponerentur, edicunt.

Illi

illi re deliberata, articulos recipiunt cum ea solenni protestatione, vt quidquid hac in parte constituendum foret, communi omnium Ordinum consensu constitueretur. Verum Commissarij accepta Ordinum super ijsdem articulis sententia, secus ac antea promiserant, posthabitis rationibus, iuribus & priuilegijs ciuitatis, absq; vlla sententiarum mutua communicatione, nullo requisito ab Ordinibus consilio nedum consensu, ad constitutionum suarum scriptionem & promulgationem procedunt.

Postulant à Senatu per literas publice propositas vniuersum populum in Curiam & forum conuocari, ni faciant, semet ipsos ex auctoritate Regia per edictum esse conuocaturos. Ad diem conuentioni dictum Ordines adsunt frequentes, cœtera multitudine in forum effusa, petunt enixe publicationem suspendi, & prius constitutiones recitari seorsim, ac sententiam Ordinum de ijsdem audiri, nec inuitis sibi, sed plane nescijs contra veterem morem leges obtrudi, cum ne Serenissimi quidem Reges vnquam hoc modo leges promulgauerint.

His vero neglectis Commissarij proposito insistunt, & in manifestum contemptum, & derogationem Ciuitatis iurium & priuilegiorum, reiecta etiam Ordinum iterata protestatione ad publicationem properant, & constitutiones suas partim ex fenestra Curiæ ad plebem in foro congregatam lingua germanica, partim illa quæ de iure Regio scripta erant intra Curiæ parietes latine quo minus omnia ab omnibus intelligerentur, recitant. Addunt illud etiam, solius esse Principis reformare, nec oportere auctores errorum emendationi illorum adhiberi neque conueuire, vt quæ ex auctoritate Regia constituta sint, in dubium vocentur, nedum vt subditorum consensus ad ea requiratur, sibi in æque ac ciuibus ipsis omnes ciuitatis rationes esse perspectas & exploratas.

Hæc

Hæc vti in apertum & maximum ciuitatis præiudicium publice fiebant, ita omnes Ordines non acerbe & moleſtiſsime ferre non poterant, Itaq; tam publicè quam priuatim vno ore contradicunt, & cum in Curia tum in ſingulis Commiſſariorum hoſpitijs confeſtim ſolennem proteſtationem interponunt, ſe nec conſenſum præbere publicationi, nec conſtitutionibus iſtis contra ciuitatis iura Promulgatis obedire poſſe, qua proteſtatione Commiſſarij in tantum offendebantur, vt Epiſcopus iratus admodum & commotus in hæc verba prorumperet: Omnes qui proteſtarentur, & contradicerent actionibus, decretis & conſtitutionibus ſuis pro hoſtibus & violatoribus Regiæ dignitaris habendos eſſe, tanquam ſuperioritati & Sceptro Principis palam repugnantes. Qua interminatione quamquam non parum mouebantur Ordines, nimirum quod Commiſſarij eam ſibi vſurparent poteſtatem, quæ ſoli Regi conuenit, cui ſoli fidem, ſubiectionem & obedientiam præſtare tenerentur. Ordines poteſtationi tamen inſiſtunt, neq; patiuntur vlla ratione vel terrore à præſcripto iurium & priuilegiorum ſuorum ſe dimoueri. Miſsis poſt modum internuncijs, ijsdem mandatum dant, apud Regiam Maieſtatem de indignitate rei ſuperius expoſitæ conquerendi, & rationes, cur eas conſtitutiones agnoſcere minime poſſent exponendi. Ea fiducia freti fore, vt rationibus cognitis, ea quæ nullo ordine geſta eſſent, reſcinderentur, & Ordines ab obſeruatione Conſtitutionum illarum liberarentur, præſertim quod earum pleræque cum ciuitatis iuribus & moribus aperte pugnent de quibus quales ſint, paulo poſt locus erit aliquanto latius diſpiciendi.

Quæ deinde in Commitijs ſubſecuta ſunt quamuis Ordines ad vitandam omnem offenſionem non libenter commemorant, tamen hoc rerum ſtatu neceſſario ſic exigente, ſilentio præterire non poſſunt. Etenim tantum abeſt, vt internuncii ad Regiam Maieſtatem admiſsi, vel publicè his de rebus auditi ſint, vt etiam iuſſi

fuerint

fuerint de grauaminibus Ciuitatis cum Commissarijs, qui illorum auctores essent sermones conferre. In illa ipsa collocutione, quomodo ex internuncijs quidam à Commissarijs sunt excepti, quomodo pro imperio insolenter habiti, quot iurgijs, & asperis reprehensionibus perculsi, adeo vt nihil ferè libere pro rerum necessitate proferre potuerint, nolunt ordines hoc loco pluribus recensere, ipsa acta publica latius ea contestantur. Et quamquam postea per Palatinum Brestensem, & eius collegas illæ constitutiones huc essent denuo perlatæ, vt publicarentur, quasi moderatio quædam adhibita fuisset, & quæ tantopere Ordines offendissent commutata, nihil tamen eorum quæ obliterari Ordines petebant, mutatum apparuit. Verba quidem nonnulla ex asperioribus delinita, in ijs autem capitibus, quæ plane Ciuitatis iuribus, priuilegijs & moribus aduersarentur, nihil expunctum. Quapropter ne tunc quidem Ordines eas agnoscere potuerunt, Addita quidem clausula fuerat, quidquid deinceps iuribus & priuilegijs aduersari demonstratum fuisset, mutatum & abolitum iri, modo in publicandis constitutionibus mos gereretur. Verum id periculo non carebat, vt emendationi publicatio præmitteretur. Sicut enim ordo naturæ exposcit, vt executionem cognitio vniuscuiusq; rei antecedat, ita nemo dubitat, quin ea, quæ emendatione indigent mutari debeant prius, quam publice proponi.

Proinde cum eæ constitutiones maxime Ciuitatis iuribus derogent eaq; plane subuertant, ac priuilegijs ferme omnibus perpetuum præiudiciũ adferant, non intelligũt ordines, qua fide qua uè conscientia, nunc etiam easdem recipere possint vel debeant. Sed nec illud quidem pro subiectionis obseruantia sibi conuenire arbitrabantur, vt cum Principe de singulis capitibus & verbis, vel eorum interpretatione disceptent, præsertim in ijs causis, quæ ciuitatis statum & administrationis ordinem attingunt. Fuit enim Ciuitas hactenus in possessione constituendi leges ciuiles & plebiscita, nec non vitia Reipub. corrigendi & reformandi vltra hos

minum memoriam absq; cuiusuis impedimento, interpellatione, Quam potestatem Ordinibus Diuus Cazimirus non modo propter multa præclara facinora, & illustria Ciuitatis merita concessit, sed quod existimaret etiam neminem rectius & salubrius Ciuitatis rationibus prospicere, & incommodis mederi posse, quam qui in eius administratione versantur, & eius negotijs curam omnem impendunt. Quod si eiusdem mentis fuissent Commissarij, & cum Ordinibus communicato consilio, & accedente illorum consensu Constitutiones sine priuilegiorum præiudicio scripsissent, neq; tam properanter ac fere per vim ad publicationem descendissent, facile cum Ordinibus bona gratia potuisset agi, nec res in hanc disceptationem deuenisset.

Consequens nunc est, vt ad confutationem earundem constitutionum descendamus, & obiter commonstremus, quomodo non solum aduersus morem Ciuitatis in maximum præiudicium iurium, priuilegiorum, iurisdictionis, libertatum & consuetudinum publicarum fuerint promulgatæ, Verum etiam quatenus in ijs publica ciuitatis fides, cum summa magistratus & Ordinum ignominia palam, nec obscure notetur & traducatur. Quo nihil Ordinibus propter fidelissima sæpe præstita merita potuit accidere vel indignius, vel ad posterorum memoriam acerbius. Tantum abest, vt istæ constitutiones ad retinendam vel stabiliendam Ciuitatis dignitatem concordiam & tranquillitatem aliquid roboris afferre possint, quod ex sequentibus manifestius apparebit.

I.

De Regalibus & iure Regio.

IN hoc primo capite statim ab initio magistratus ciuitatis haud obscure perstringitur nota violatæ Maiestatis, dignitatis, & reputationis Regis & Regni: Et paulo post itidem tanquam testibus & documentis iam conuictus arguitur, quasi Regalia & ius Regium,

Regium, atq; ea quæ ad regalem dignitatem & præeminentiam pertinent, istæ enim perpetuæ sunt, priuatæ libidinis illorum laruæ, temere labefactauerit: Hasce calumnias subinde actionibus suis adsunt, vt aliquid saltem isthac Commissione actum fuisse hominibus imperitis imponant, & tenebras offundant, Quæ cum omnia satis alibi confutata sint, non est, vt hisce nugis tempus amplius frustra teramus.

Deinde disponunt ex allegatione diplomatis Diui Cazimiri terris Prussiæ concessi. Item ex alio diplomate eiusdem Cazimiri Ciuitati Gedanensi spetialiter dato. Demum etiam ex priuilegio Diui Sigismundi super oppido Hela Gedanensibus itidem concesso: Vt nimirum Magistratus & Communitas gubernationem nauigationis cuiuslibet propter commertia sibi sic creditam & commissam esse existiment, vt eiusdem permittendæ & prohibendæ Serenissimi Poloniæ Reges arbitrium sibi non modo soli de reseruauerint, Verum etiam prudenter cauerint, ne vsum nauigationis, vel potestatem aliquam littoris sine scitu & voluntate Principis sibi Ciuitas vnquam sumeret. Ex qua inferunt merum maris imperium, & directum dominium arbitrio Serenissimorum Regum reseruatum esse ac postremò decernunt, & edicunt: Ne quis eiusmodi regalia, de maris dominio, de iudicijs, ac bonis naufragis generatim & spetiatim expressa labefactare aut conuellere, siue vsum illius sibi sumere audeat, nisi de Principis expressa sententia, sub pœna in Regaliorum & Regij iuris violatores decreta.

pag 154

Quæ quidem illatio vti manifeste repugnat, & aduersatur supra allegatis priuilegiorum verbis, & menti Diuorum Poloniæ regum, & consuetudini vltra centum iam annos pacificè absq; vlla interruptione inueteratæ: ita cum magna verborum & sententiarum perplexitate, omnia quæ vel Maiestati Regiæ præcipuè, vel ciuitati seorsim iuxta tenorem, priuilegiorum competant, plane per illos confunduntur, adeò vt cum

x vel interpellatione

cid

ambiguitatem omnem præcidere voluisse profiteantur, super iis quæ de maris imperio, de directo & vtili dominio, de bonorum naufragorum perceptione, de maris & littorum gubernatione ac vsu eiusdem, deq; iudicijs rerum maritimarum, in ijsdem priuilegijs satis diserte ac perspicuè continentur, ea omnia certissima obscuritate, & perpetua disceptatione inuoluant. Non vt Ciuitatis ius integrum esse velint, quod fronte nihilominus præferunt: sed vt id ipsum Ciuitati adimant, eripiant quicquid à Serenissimis Regibus concessum habet, cum grauissimo ciuitatis præiudicio, contra omnem omnium aliarum maritimarum ciuitatum morem ac consuetudinem.

Nam vt paucis rei summam complectamur euidentissimè, constat Ciuitati Gedanensi omnimodam ac plenam potestatem à Diuo Gazimiro datam & iure concessam, omnes nauigationes, & omnia littora oræ Prussiacæ regendi ac gubernandi de velificationibus disponendi, eas mandandi & prohibendi saltem cum scitu & consensu Regis ipsius aut vicem gerentis: Ciuitatem itidem super omnibus casibus, qui sunt maritimi iuris, & quæ ratione bonorum naufragorum & commerciorum seu negociationis cuiuscumq; generis incidunt, plenissimam habere potestatem iudicandi, definiendi ac terminandi. Omnia quoq; littora & portus maris sine cuiusuis interpellatione vel impedimento contra piratas, prædones, fures & maleficos, tam in aquis quam in littoribus tuendi, administrandi & iudicandi. Excepto saltem regio iure in bona naufraga, quod Serenissimi reges sibi reseruarunt, quatenus fortè dominus aut hæres bonorum ea à Burggrabio & magistratu, in cuius interim fideli custodia esse debent constituto tempore non repetiuerit.

Ex quo liquidò patet Serenissimis Regibus dominium maris secundum priuilegij dispositionem ita competere vt quemadmodum Rex ipse inuita ciuitate, cui potestatem suam Regiam sponte concredidit nihil voluit de nauigatione vsurpanda statue-

re,

re, ita vicissim ciuitas nihil inscio Rege disponat, sed omnia, quæ cumq; contra ordinem fieri videbuntur, communicatis consilijs constituantur. Cum enim antea crucigeri Mariani inconsulta ciuitate Gedanensi pro suo arbitrio portus claudendi, & aperiendi potestatem vsurparent, & ciues non ante merces suas exportare permitterent, quam Magister & Ordinis fratres suas diuenditas euexissent, magnæ inde querelæ, exacerbationes, mox etiam seditiones exortæ sunt, tandem hæc vna quoq; fuit ex præcipuis causa bello crucigeros inuadendi. Ne deinceps igitur eiusmodi quid admitteretur, voluit Diuus Cazimirus de tantis incommodis admonitus ex dispositione priuilegij communicatam esse iurisdictionem mandandi & prohibendi, seu disponendi nauigationem: Reliqua omnia vtputa omnimodam maris gubernationem, vsum, administrationem, iudicia, actiones maritimas ad Ciuitatem Gedanensem spectare, quæ ciuitas etiam semper hactenus plane ac integre summa in pace & quiete absq; vlla interpellatione vsurpauit. Vt autem euidentius demonstretur, hæc in priuilegijs ita diserte contineri, nec opus fuisse Commissariorum glossematis vel calumnijs potius, verba ipsa bona fide huc translata adscribemus.

Primum ex speciali priuilegio per Diuum Cazimirum ciuitati concesso anno M. CCC C. LVII. cuius hæc verba sunt. Præterea concedimus & damus præfatis Præconsulibus, Consulibus, Scabinis & toti Communitati ex speciali regia gratia & fauore omnimodam facultatem & potestatem, omnes & singulas nauigationes, cum omnibus littoribus maris terrarum nostrarum Prussiæ regendi, administrandi, & gubernandi. Omnes itidem nauigationes disponendi, mandandi, & prohibendi, cum consilio, scitu & voluntate nostra, vel nostrum locum tenentis per absentiam nostram, ita tamen vt ipsi nulla telonia & impositiones sine nostro scitu & voluntate instituere debeant: Non derogando tamen illorum priuilegio à nobis Petricouiæ concesso; Habeant

etiam potestatem omnia maritima iura, naufraga bona, atq; commertia qualiacumq; eadem sint, administrandi, de eis iudicandi, decernendi & definiendi: Reseruantes ius nostrum Regium in prædicta naufraga bona atq; mercimonia secundum contenta priuilegij principalis Terrarum Prussiæ Cracouiæ dati. Item omnia littora & portus maris nostrorum dominiorum Terrarum Prussiæ, sine cuiuslibet impetitione, & impedimento contra omnes pyratas, prædones, fures & maleficos in aqua & in littore tuendi administrandi & dijudicandi.

Ex his priuilegij verbis ea quæ supra diximus euidenter & distincte constant, nec aliam fuisse Diui Cazimiri mentem certum est, vtpote quæ ex ipso longissimo vsu hominum memoriam excedente, & ex perpetua consuetudine, quæ optima legum est interpres, manifeste euincitur. Quo violentior, & calumniæ proximior Commissariorum adeo perplexa & improba interpretatio, qua Regij beneficij partes suo ordine suoq; genuino sensu destinatas, non plane solum confundunt, sed etiam eò perperam detorquere nituntur, quasi quod in vno positum sit, vt cum scitu & voluntate Principis fiat, id ad cœtera omnia violenter tralatam, totum ciuitatis ius penitus euacuet, atq; euertat, & Ciuitas vmbram priuilegij retineat: illi nobis exclusis suo arbitrio maris gubernationem disponant, Ac vt illorum consilia & rationes non satis hoc ostenderent, certa loquitur illa tabella quam Episcopus huic constitutioni suæ nimis subtiliter assuit, scilicet in quam intuenti consilia illorum statim occurrunt: Sic enim admodum propriè subdistinguit Dominium maris quod Regis & Regni proprium constitut in dominio vel recto vel utili.

Directum continet dispositionem nauigationis, quæ est facultas siue potestas pace belloq; pro modo temporum, locorum, gentium, personarum, & mertium classes expediendi, & nauigationes quaslibet permittendi, prohibendi inusitatas & regnis atq;

pro-

prouincijs exitiosas intercipiendi: Facultatem itidem constituendi portus nouos, propugnacula in portibus, ostijs & littoribus maris, vectigalia siue portoria maritima, expeditiones maritimas militares: Iudicia etiam maiora & minora piratarum, nautarum, negotiatorum, & quorumuis nauigantium. In vtili dominio sunt piscatura omnis generis, electrum vel succinum, sal, & id genus alia, merces deniq; naufragæ. Quis quæso ex illorum intimis apertius ea consilia detegere potuisset, quam isthæc tabella palam depingit? Quid enim aliud dicunt quam exauctorato omni ciuitatis iure, penes se summum arbitrium, omnis nauigationis regendæ propugnaculum & portum quandocumq; voluerint occupandi, vectigalia & portoria maritima quoties libuerit constituendi, expeditiones maritimas & militares, hoc est, speculatorum rapinas quibus adhuc saciati non sunt, denuo instaurandi, iudicia Ciuitatis in rebus maritimis ad se rapiendi, de piscaturis, electro, sale & id genus alijs cauponas instituendi.

Itaq; horum omnium finem præter cætera constituunt etiam diuitias ex mercibus domesticis, splendorem domesticum, amplitudinem ac potentiam Regni, reditus ingentes, thesauros publicos & priuatos & multa alia. Vtinam illi consultores præcoces interim domi haberent quibus indigent, ne trans mare quærenda essent. Nimirum vt iam nihil amplius hoc loco dicamus, certe hoc vetus illorum aucupium est, & in eo sibi cum actionibus suis constant, quod tantopere auctionem portorij, vel potius possessionis partem aliquam in eius portorij iure primum ac persuasionibus superiorum actionum suis allicerent mox totum sibi raperent, & tandem imperio suo nimis quam pernitioso Ciuitatis omnia iura & fortunas funditus euerterent, ac libertates proculcarent.

Reliqua duo priuilegia, de quibus Commissarij loquuntur, nihil aliud disponunt quam de bonis naufragijs, & caducis, quatenus ad Regiam Maiestatem pertineant. Nec inde quicquam aliud colligi potest de maritimarum rerum iurisdictione, quàm quod supra demonstratum est. Quantæ vero auctoritatis est, sta nouis constitutionibus suffulcire, quæ disertis priuilegiorum verbis iam pridem sancita sunt dispositaq;. Sed audiamus ipsa priuilegiorum verba.

In generali diplomate Diui Cazimiri Cracouiæ dato anno 1454. ita scriptum extat: Item licet Magister & Ordo tempore occupationis terrarum prædictarum omnia bona, & merces, quarumcumq; maneriarum, diuina permissione naufragium in mari passarum, velut propria ex naufragio quasi sui iuris facta occupabant, nos tamen qui Rex catholicus sumus, & sortem huiusmodi naturali & diuino iure, sedisq; apostolicæ decreto damnatam velut crudelem & iniustam execramur, pollicemur quod res & bona cuiuscumq; ponderis aut valoris existant, earum personarum, quæ maris naufragio periclitabuntur, nunquam per nos aut officiales nostros velut nostras, aut iuris nostri petemus aut requiremus, sed illas absq; aliquali diminutione per eos quorum ante naufragium fuerint aut eorum propinquiores, demonstratione euidenti propinquitatem probantes colligendas, & in vsus beneplacitos decernimus conuertendas. Contrariæ consuetudini aut iuri vel potius corruptelæ pro nobis & successoribus nostris renunciando: nisi forte nullus bonorum huiusmodi extaret iustus hæres & successor, quoniam in casu illo bona ex naufragio habita nostræ volumus potestati subiacere.

In spetiali priuilegio Diui Sigismundi anno M. D. XXVI. Ciuitati concesso hæc sunt verba: Hanc præterea animi nostri perpetuam voluntatem & deliberationem adijcimus, vt si quæ res siue merces ex quocumq; naufragio ad vniuersum eius ciuitatis littus peruenerint, quas dispositioni nostræ & successorum nostrorum,

rum, reseruatas esse volumus, & reseruamus, quod illæ ipsæ res in fideli custodia Burggrabij, ac totius magistratus Gedanensis conseruentur, tam diu quo ad Dominus aut hæres earundem rerum aut mertium ex naufragio prouenientium comparuerit, & illas iure repetierit. Et dum cognoscetur, quod huiusmodi merces in suo valore durare nequeant: habebat Burggrabius noster Gedanensis cum ipso Magistratu potestatem eas vendere, & pecuniam inde prouenientem reseruare. Casu vero quo tractu conuenienti temporis nemo compareret, qui huiusmodi ius suum, & res illas ad se pertinere posset docere, ex tunc ipse Burggrabius Gedanensis simul cum magistratu ibidem, nos de ijsdem rebus informare & certiores reddere tenebatur, vt nos & successores nostri de illis disponere valeamus. Idem per omnia obseruari debet in bonis caducis sine legitimis hæredibus post obitum relictis.

Ex hoc priuilegiorum consensu & verborum tenore, manifestè liquet Diuum Cazimirum nihil amplius sibi reseruasse, quam vt cum eius consilio, scitu, & voluntate nauigatio gubernetur, quoties de aperiendo vel eludendo portu disponendum foret, & vt bona naufraga non extantibus dominis vel hæredibus, Regibus sint præseruata. Quam reseruationem Diuus Sigismundus relatiuè distinctis verbis, in hoc ipso priuilegio interpretatur. Excipit enim pro iure suo res naufragas & bona caduca, & mox subiungit, Reliqua omnia quæ aliasipsi Ciuitati Gedanensi per prædecessores nostros donata sunt, & ei prouenire solebant: ijsdem subditis nostris Gedanensibus pleno iure relinquimus: Quæ quidem verba tanquam interpretatiua tollunt omnem ambiguitatem, quam perplexitare sua, vt ciuitatem hoc iure defraudent, Commissarij friuole comminiscuntur.

II.

De saluis Conductibus.

IN secunda sua constitutione Commissarij decernunt Saluos conductos Regios tanquam priuilegia personalia strictissime ex æquo propter Principis reuerentiã esse seruandos, neq; cuiquam hominum ea violare fas esse, Si quis autem propter delictum aliquod notabile protectione eiusmodi indignus videatur rem ad Principem referendam existimant. Addunt deinde modum procedendi in tali casu, nimirum vt facinorosus ad tribunal Regiam vnis literis Citationis peremptoriè prius euocetur, deinde vbi declaratione Maiestatis Regiæ saluo conductu eiusmodi indignus per sententiam pronunciatus fuerit, tandem à Magistratu Ciuitatis huius iudicetur. Vnde inferunt declarationes aliter, parte non citata, nec decreto interposito, impetratas tanquam iure inualidas, nullius momenti esse debere, etiamsi hæc clausula literis inserta fuerit: à vi & potentia, non autem à iure: quam ita intelligi voluit vt saluo conductu munitus si tanquam causæ suæ non diffidens in iudicio respondere, suamq; innocentiam defendere voluerit, non ex carcere & vinculis, sed liber causam dicat, libereq; à iudicio discedere possit, & valeat, neq; carceri vllo mancipetur, priusquam in tota causa per definitiuam sententiam iudicum succumbat. Concludunt tandem Regiam Maiestatem certum in saluis conductibus concedendis modum constituturam esse, ne manifestè scelerosis, vel ex certo animi proposito & voluntate delinquentibus impartiantur.

Hæc quidem omnia prima fronte speciem habent, quasi dignitas & auctoritas Principis in obseruatione saluorum conductuum maxime spectetur: quam tamen Ciuitatis Magistratus pro fide subiectionis, hactenus etiam absq; vlla constitutionis necessitate sanctissime venerantur. Sed reuera metuendum est, ne per hanc constitutionem occasio omnis generis licentiæ, & scelerũ omniũ impunitas in ciuitatem populosam introducatur. Qua quidem re tantum abest, vt dignitas Principis stabiliri possit, vt nihil ad dissoluendam, & relaxandam ciuium & subditorum erga Magistratus obe-

obedientiam excogitari posit efficatius. Vt taceamus totum hoc genus literarum in aula non nisi pecunia grandiuscula comparari, vtcumq; tandem causa sit, vel saltem, si quis è liberali manu eas obtinuerit, eum oportet dignum haberi, qui magistratum calumnijs inter ciues obterere, vel libertates publicas paulatim conculcare nõ erubescat. Itaq; passim experiũtur, quo quis numerũ, profusior fuerit, vel in Ciuitatem & Magistratum sceleratior, eò munitiorem istarum literarum phaleratis encomijs ex aula reuerti. Adeo perperam illi rationem ineunt, cum existimant spreto Senatu, magistratibus ludibrio habitis, legibus proculcatis, libertate violata, scelerũ impunitate proposita regiam dignitatẽ stabiliri. Quamquam autem Commissarij volunt videri rationem inuenisse, ne facinerosi protectione Principis gaudere debeant, ne scelerum impunitate alij corrumpantur: tamen eiusmodi præscribitur procedendi modus, vt facile appareat maiorem fore plerisq; peccandi facultatem, quam Magistratui in delinquentes animaduertendi. Dum enim de facinoribus ad Principem referendum, & de Reo ad Regium tribunal euocato, non nisi post declarationem Regiam per sententiam illic impetratam, iudicium à Magistratu instituendum est, sic vt omni metu solutus interim ne carceribus quidem coerceri debeat, an non hoc modo facinerosis apertatur campus quiduis perpetrandi, & impune elabendi quis non intelligit.

Illud autem omnium maxime molestum, & Magistratui peracerbe accidit, quod in hac constitutione Commissarij omnes Regiæ Maiestatis declarationes & rescripta, quæ in saluis huiusmodi conductibus hactenus interceserunt, & in posterum intercedent plane abrogant & more prorsus inusitato interpretantur. Qua quidem ratione regressum subditis ad Regiam Maiestatem pro interpretatione rescriptorum & indultorum, quæ non raro contra vtilitatem publicam, & in detrimentum priuatorum impetrata sunt plane præcludunt.

Atqui prorsus fuerit iniquum si facinorosis quidem ad simplicem suam assertionem literas publicas obtinere integrum sit, Magistratui autem ob retinendam disciplinam, & tranquillitatem publicam & coercenda scelera, Principalis indulti declarationem nisi in ius vocato malefico petere non licear. Longe quidem prudentius aliquoties iam antea Regia Maiestas animi sui sacratissimam dispositionem declarauit certis rescriptis, quibus & criminales causas à ciuilibus distinxit, & modum Magistratui praescripsit, quem in saluis conductibus obseruare debeant. Quod vt manifestius appareat aliquot eius generis rescriptorum & declarationum exempla subijciemus.

Ex rescripto Regio Vilnæ dato die 28. Nouemb. anno 52.

Volumus si quid forte atrotius à ciuibus qui publicæ fidei literis muniti sunt, fuerit tentatum vt famatus Ciuitatis nostræ Burggrabius eos comprehendos curet, summariamq; de delicto perpetrato informationem accipiat, ac at nos mittat, qua nos visa & probe examinata quid fieri arbitrabimur oportere rescribemus. Atq; hoc quidem de maleficijs & facinoribus volumus obseruari. Nam quod ad ciuiles causas attinet, volumus vt in ipsos ciues publicæ fidei literis munitos, si quid eos peccare contingat, suo ciuitas iure vtatur.

Ex rescripto Regio Petricouiæ in conuentu Regni generali dato feria quinta ante Dominicam Inuocauit, Anno LXIII.

Declaramus & volumus vt dicti præconsules & consules contra omnes ciues literis publicæ fidei nostris munitos in causis criminalibus priorem declarationē nostrā in omnibus obseruent.

In ciuilibus vero causis omnibus quomodocumq; intentatis vel intentandis, volumus vt ipsi ciues quacumq; salui conductus prærogatiua muniti, coram Senatu vel iudicio ciuili conuenti omnibus actoribus respondeant, ac magistratui sine vlla cunctatione pareant, non obstantibus quibuscumq; salui conductus, aut publicæ fidei literis nostris, quocumq; prætextu seu colore impetratis, vel impetrandis, quoniam priuatorum indultis iuribus, & legibus publicis nihil volumus derogare.

Ex responso regio internuncijs Consularibus dato Knissini die 14. Iulij, Anno 67.

Interim Maiestas illius profitetur se saluos conductos eiusmodi non à iure sed à uirdum taxat & potentia concedere, ordinaria ratione solere, idq; etiam non in criminalibus causis, sed in ciuilibus dumtaxat. Neq; enim vult eiusmodi saluorum conductuum literis impunitatem vllam propositam videri hominibus facinorosis, sed præsidium dumtaxat innocentiæ comparari.

Ex declaratione Regia Angli Iacobi Flulin, data Brodnæ vltima Decembris, Anno 66.

Declaramus præsentibus, literas salui conductus nostri memorato Anglo à vi & potentia, non autem à iure per nos datas & concessas esse, quod in vniuersum supra scriptis omnibus, præsertim vero Senatui & iudicio Ciuitatis nostræ Gedanensis planum & testatum esse volumus, denunciantes illis vt prædictum Anglum solumodo à vi potentia, non autem à iure exemptum esse intelligant, prædictasq; literas nostras salui conductus vim & potentiam reprimere, non autem à iure Ordinarij iudicis vendicare apud se certo statuant.

Ex declaratione Regia ad saluum conductum stupratoris Suuederi data Markouo die 6. Octob. Anno 67.

Etsi quidem nos iam ante hac aliquoties in simili casu seu negocio declarationem nostram dederimus, tamen & nunc idem, quod iam antea fidei Vestris significamus, nos quidem vnicuiq; ad nos confugienti, & protectionem nostram imploranti literas salui conductus nostri denegare non solere, ita tamen eas concedere, vt à vi & potentia tantum, non autem à iure, aut contra rem iudicatum à nobis concessa esse quisq; intelligat.

Horum & similium omnium rescriptorum auctoritas Regiam dignitatem, ac æquitatem in coercendis malefitijs, maxime illustrat, & alioqui iuri communi est consentanea, quo diserte constitutum est ne in malefitijs securitas cuiquam, ne in sacris quidem locis seruetur, præsertim in casibus homicidij voluntarij, adulterij, raptus stupri, aggressuræ propter rationem æquissimam, quod malefici priuilegijs non vtantur, & quod securitates non iniuriantibus, sed iniuria affectis concedi debeant. Hic modus est coercendi frequentiam literarum eius generis publicarum, & reprimendi multorum insolentiam, ac temeritatem in Cauponandis Regijs protectionibus, hunc potius suo calculo comprobare debuerant Commissarij, quam prætextu Commissorialis auctoritatis, vna cum bonis legibus & maioribus ipsius etiam Principis dignitatem explodere.

III.

De Personis Exemptis.

IN hoc capite suo more sentiunt commissarij ne personas peculiari Principis priuilegio de eiusdem certa scientia & voluntate exemptas præsertim eas, quæ operas suas Regiæ Maiestati præ-

præstant, vel quouiscumq; modo apud eandem in famulatu sunt, iuxta formulas literarũ ijsdem vel delegatis iudicibus eorum concessas, quisquam in ciuilibus turbare, nedum in criminalibus cuiuscumq; Tituli magistratus, etiam officij Burggrabiatus prætextu, iudicare præsumat: Verum ad competens forum easdem remittat, vt de ijs iudices ipsorum competentes in loco delicti ius dicant fiant, sub pœnis in ijsdem exemptionibus, & alijs in violatores protectionis Regiæ legibus constitutis. Ratione tamen contractus concedunt eiusmodi personas exemptas nisi nobilitatis iure gaudeant vicissim posse conueniri coram eo iudicio, à quo ius sibi dictari postulant, præsertim si in Ciuitatis territorio sint possessionati, & si controuersia ex alijs causis, non autem ex talibus, vbi Regiæ Maiestati interest, exoriantur.

Hæc constitutio itidem vt superior manifestè pugnat cum iure scripto, & vetusta consuetudine, & libertate publica ciuitatis. Nam aperta est dispositio iuris communis, quod ratione delicti, de quidem clarissima dignitate prædti, neq; milites quiscumq;, etiam veterani ab ordinaria iurisdictione loci, vbi maleficium admittitur, eximi, sed suis priuilegijs omnibus, vt Diui Imperatores loquuntur exuti, cognitioni ordinariæ subijci debeant. Quemadmodum etiam in pactis pacis perpetuæ cautum est, vt delinquens in loco delicti conueniatur. Hoc iure & libertate ciuitas semper vsa fuit, ne vllum esset inter ciues, qui in vna ciuitate æquali iure degunt discrimen, sed vt æquo iure omnes, nulla habita & seruitoris Regij discretione viuerent, ac gauderent. Nequaquam enim potest in suo statu Reipub. consistere, nisi idem omnibus ius ex æquo statuatur. Neq; sane apparet, qua ratione, quaue æquitate id constitui possit, vt seruuli Principis, & qui in famulatu regio sunt meliores sint conditionis quam ipsi officiales, qui Principis vices gerunt, qui Regiæ Maiestatis nomine magistratum agunt cum & præconsules & senatores, & ipse Burggrabius iuri publico tam in maleficijs, quam in contractibus subesse rogantur.

Enim

Enim vero non solum in criminalibus causis exemptiones eius generis iuri publico derogant, sed etiam in ciuilibus non absq; insigni præiudicio priuatorum vsurpari possunt. Quid enim est iniquius, quam si ciues, vel etiam extranei cum quopiam contrahunt pecunias mutuant, vel negotia quæuis exercent, ac is deinde exemptionem prætendat, ad iuditium Regiæ Maiestatis prouocet, ac eius qui fidem debitoris secuti sunt eludat? Cuius autem rationis est, vt ij qui se nobilitatis titulo insigniunt, ab omni conuentione sint exempti? Omnes certe homines cuiuscunq; conditionis & præeminentiæ ratione contractuum, qui iuris gentium sunt, æque ac quilibet priuatus obligantur. Sed isti legislatores eam sequuntur prudentiam, vt & gentium omnium consensum, & æqualitatem, maximum Reipublicæ vinculum exterminent potius, quam vt de studio suo Ciuitatis libertatem opprimendi quicquam remittant.

IIII.
De Appellationibus.

HAnc constitutionem Commissarij plane nouo & inaudito modo, nimirum perpetuo duratura lege sanciunt, in omnibus ciuilibus & criminalibus causis ex quacumq; occasione quomodo libet ortis, appellationes ad summum tribunal omnibus liberas esse, neq; easdem à quouis iudicum impediri. Qui secus fecerit, tanquam violatur iuris regij mulctetur, & damnum parti læsæ præstet.

Huic constitutioni manifeste aduersantur Ciuitatis priuilegia & consuetudo longissima, qua eius iurisdictio fundata est. Primum enim ex priuilegio Diui Cazimiri aperte euincitur, potestatem iudicandi, decernendi, ac definiendi causas maritimas omnes, ad iurisdictionem Ciuitatis pertinere, nec præterea vllius esse iudicis in hisce causis vlteriorem cognitionem. Diuus etenim

vid. p. 133

mim Cazimirus, suo successorumq; nomine iuri suo hanc in partem renunciauit itaq; in ciuitatem transtulit. Accedit huc longissima consuetudo quæ nullam in causis maritimis appellationem ad Regium tribunal vnquam meminit, præscriptione tanti temporis vallata, cuius initij non extat memoria, certissima omnium iurium ac priuilegiorum interpres, quæq; à maioribus citra contradictionem per manus tradita vim legis perpetuæ, & auctoritatem iuris indubitatam huc vsq; obtinet. Tantum abest, vt istis constitutionum Commissorialium tendiculis nuper inuentis & excogitatis præiudicium aliquod iurisdictioni Ciuitatis afferri debeat, vel possit. Hoc ius rerum maritimarum similiter etiam in cæteris ciuitatibus maritimis obtinuit summa cum ratione, & publicæ vtilitatis gratia constitutum. Etenim non solum maximè molestum, sed plane etiam iniquum fuerit homines nauticos & peregrinos qui nauigationi dant operam, magnoq; sumptu nauem ac familiam nauticam interim alunt frustratorijs prorogationibus impediri, & in aulam remitti, maxime cum dispendio & fortunarum, & negociorum suorum. Qua ratione facile homines peregrini ne eiusmodi molestijs implicari necessum habeant, à Ciuitatis commertio deterrebuntur, quod vniuerso Regno futurum sit vehementer damnosum.

Deinde cauetur etiam pacis perpetuæ pactis, vt delinquens in loco delicti deprehensus puniri debeat, & Constitutiones terrarum Prussiæ diserte disponunt in causa sanguinis & facto recenti deprehensos indilatam iusticiam administrari oportere. In quibus quidem causis appellationi locum relinqui non intelligitur. Atq; hæc longissima consuetudo est per terras Prussiæ semper obseruata, nec extat contrarium exemplum, vt in causis criminalibus ad summum tribunal appellare vnquam licitum fuerit. Quinimo nec ex nobilitate quisquam tam Regni quam harum terrarum, qui iure suo in subditos vtitur in eiusmodi causis ap-

pellationem admittit, nec atmittere tenetur, nedum vt in ciuitate populosa coertio scelerum appellationis intuitu differri vel inhiberi debeat: præsertim quod ad exemplum pertinet, delicta publice coerceri punirique.

Habet præterea Ciuitas Gedanensis fidelissimis obsequijs promeritum priuilegium de certa scientia & consilio Senatorum Regni, in publicis regni comitijs concessum, vt in ciuilibus causis de quacumq; re summam quingentorum florenorum non excedente magistratus Ciuitatis prouocationi partis contemnatæ cedere non teneatur.

Habet itidem ius in colonos suos hæreditarios super fundis & possessionibus, quo pari prærogatiua cum equestri ordine iam inde à tempore accessionis ad Regnum, & vltra hominum memoriam vtitur, sic vt in istiusmodi villarum, ac possessionum colonos, quos hæreditario iure possidet, merum imperium habeant, & coloni iurisdictioni Senatus simpliciter acquiescant, nec vlterius prouocare possint. Quod ius peculiari etiam Principis priuilegio ac decreto iampridem confirmatum est.

Quæ quidem omnia Commissarios tam superba sua constitutione proculcare, & vetustissimo suo iure ciuitatem defraudare voluisse quis non videt? Hoc equidem non est leges condere, sed in euertendis legibus tyrannidem exercere.

V.

De iuramento Præconsulum & Consulum.

IN hac constitutione Commissarij morem antiquitus obseruatum in exigendo magistratus iuramento, quod ita præstari consueuit, vt verba præeunte Præconsule iam iurato cæteri consules iurent, penitus abrogant, & è diuerso edicunt, vt postea quam renunciati fuerint Præconsules, siue Consules iuramentum præstent in manum Commissariorum, vel alterius cuiusuis ad id potestatem à Regia Maiestate habentis, propterea quod par in parem non habeat imperium, & mere ad ius Regium id iuramentum pertineat. Qua in re nihil aliud agere videntur Commissarij, quam vt iurandi ratio, quæ semper hactenus certa fuit, nunc in dubium vocetur, & non obscuro inditio fidem magistratus sugillent. Ipsa certe iuramenti formula in statutis Diui Sigismundi, & alibi expressa satis superq; magistratum obligat, vt nihil interfit, quocumq; tandem præeunte iuramentum præstetur.

Quemadmodum igitur hactenus Serenissimi Reges, nunquam de fide Magistratus dubitarunt, ita morem iurandi antiquitus introductum nequaquam improbarunt. Qui quidem mos per dispositionem iuris patrij Culmensis constitutus est, cuius præscripto Senatui tam elegendi nouos consules, quam iuramentum ab eisdem exigendi potestas competit. Idq; iam inde ab antiquo etiam Crucigeris imperantibus ius fuit huc vsq; sine cuiusquam contradictione vel impedimento receptum, & vsurpatum. Cæterum quod Cruciferorum tyrannis extirpare non potuit hoc isti legislatores imperiosis suis verbis conuellere conantur. Nam quod contendunt parem in parem imperium non habere, non eò pertinet, quo minus par à pari iusiurandum exigere possit. Neq; enim sibimet ipsi iurantem obnoxium facit, sed ipsi Principi & Reipub. cum inuocatione nominis diuini illum obstringit. Neq; solum istud in ciuitatibus obtinuit, sed etiam inter consiliarios terrarum Prussiæ, vt quoties aliquis in consilium adoptatur à cæteris consiliarijs ad iusiurandum adigatur.

VI.

De præfectis militum seu Capitaneis Ciuitatis conducendis.

NON improbant quidem Commissarij morem hunc in ciuitate quod viri vnius atq; alterius bellicæ artis periti opera conducitur, verum sic eum deinceps conduci statuunt, vt senatus Præfectum eiusmodi coram Commissarijs Principis vel cui id Princeps demandauerit, sistat, vt eiusdem iudicio approbatus fidelitatis iuramentum nouum aliquod præstet, quo non in ciuitatis commodum sed in eius seruitutem iurare cogatur. Quæ quidem constitutio præcedenti non est dissimilis s neq; minus ac illa fidei & subiectionis integritati, nec non iuribus libertati ac perpetuæ consuetudini Magistratuum ac Ciuitatis vniuersæ derogat. Semper enim huic ciuitati æquo vt alijs maritimis ius ac facultas fuit Capitanei conducendi, non ad bellum faciendum, sed ad defensionem necessariam, & à conducto iuramentum exigendi absq; vllo Commissariorum interuentu, nedum quod Regia Maiestas peculiarem aliquem magistratum hanc in rem præter morem antiquum vnquam nominauerit. Etenim si capitaneus non ante conduci debeat, quam Commissarijs Regijs mandatum hanc in rem speciale habentibus sistatur, vehementer verendum esset, ne ob repentinos aliquando motus in illa mora sistendi, magnum aliquod periculum ciuitati comparetur. Quod superiorum temporum exemplis si opus sit abunde potest demonstrari.

VII.

De Iuramento Præfecti portus Maritimi.

Simi-

SImiliter etiam Præfectum portus maritimi noua quadam iuramenti formula vel decipula potius coram ijs, quibus id Regia Maiestas speciatim demandauerit præstandi Commissarij obstringunt. Eo non attento, quod is præfectus ciuis sit, in iurisdictione ciuitatis positus, quique territorium ciuitatis obtineat, & hactenus alij nemini, quam ordinario Ciuitatis magistratui æque vt reliqui ciues & officiales iuramentū præstiterit. Etenim uero non est incertæ rationis, omnes officiarios, quos iuramente magistratus obstringit æque Regiæ Maiestati obligatos esse, atq; ipse magistratus cui iurare solent. Præterquam quod omnium maxime Ciuitatis interest, vt portus fideliter custodiatur, quo maiorem curam Magistratus adhibet in eo præficiendo, cuius fidem integritatem & industriam maxime præ cæteris habeant exploratam. Nec certe quisquam adhuc inuentus est, qui & dulcissimæ patriæ, & obligationis suæ ciuilis in tantum immemor fuisset, vt alio nouo & inusitato iuramento fuisset obstringendus.

VIII.

De iuramento ab extraneis præstando.

HOC capite Commissarij constitutionem Diui Sigismundi Regis iam pridem desuetudine antiquatam, imo ne semel quidem post seditionis causas sopitas vsurpatam ab inferis in lucem reuocant, vt iuramentum ab Opificum mechanicorum ministris extraneis exigatur. De qua constitutione cum alibi plura dicta sint, non est operæ precium hoc loco repetere. Illud saltem alicui mirum videri possit, qui tam anxiè Commissarij de iuramentis singulorum disposuerint? Verum si quis illorum consilia penitus cognita & perspecta habeat, quæ facile ex superioribus

supra lit. O.

illorum actionibus deprehendi possunt rei causam facile intelliget. Non solũ enim propositum habebant, magistratus & ciuium fidem aperte fugillari, & in suspitionem adducere, ac ordinariam Magistratus iurisdictionem in alios transferre, sed multo magis enitebantur, vt istis iuramentorum terriculamentis omnem ciuitatis libertatem euerterent. Enimuero si capitaneus militum, si portus maritimi præfectus non sit constituendus, si extranei opifices non recipiendi, nisi ex Commissariorum arbitrio in Regis verba iurassent, consequens erat, vt & milites & portus, & extraneorum turba in potestate non inquam Regis, sed istorum qui iam dudum libidini suæ ciuitatem obnoxiam cupiunt, futuri essent, quibus nutum & signa sua sequentibus, fieri non poterat, quin adempta militum, portus, & extraneorum libertate, ciuitas ad extremam seruitutem adigeretur.

Hæc maximè fuit ratio, quæ Commissarios permouit singulorum iuramenta tot constitutionibus enucleare, ne quis existimet, subditorum illis erga Regem suum fidem & tranquillitatem publicam plus, quam publicæ libertatis oppræsionem cordi fuisse.

IX.

De conscriptione militis.

HOC capite Commissarij sanciunt lege sui sensus inuiolabili, ne in ciuitate Gedanensi, vel territorio illius deinceps vnquam militem conscribere quispiam audeat, nisi Principis expræssa voluntas, vel eius consensus, cui specialiter Maiestas Regia delegauerit, accedat, secus faciens tanquam tranquillitatis publicæ violator, & criminis lœsæ Maiestatis Reus, sine venia puniatur. Qua quidem constitutione non solum publica ciuitatis fides iterum perstringitur, quasi alienissimum sit à subiectionis

ctionis fide, militem conscribere, si quis hostis externus ingruat, Verum etiam vniuersa ciuitas in repentinis periculis, quæ sæpe incidere solent, omni plane præsidio destituitur, & ijs ipsis qui eam defendere debebant prædæ exponitur. De quo conscribendi militis argumento, cum in superioribus libris abunde dictum sit, non est, quod hoc loco eadem cum legentis tædio denuo repetamus.

Illud vtiq; non refert magnopere si ob conscribendum militem cum necessitas ita tulerit Regiæ Maiestatis consensus non accesserit, modo postea de rerum statu certior facta institutum probauerit. Quod autem alterius cuiuspiam quam Regiæ Maiestatis consensus exquirendus sit ad conscribendum militem, vti Commissarij nunc statuunt, certe neminem alium post Deum immortalem Ciuitas agnoscit, quam vnicam Regiam Maiestatem, cui hac in parte, & in allijs omnibus causis supplicare teneantur. Neq; vero Commissarij isti in hac constitutione per vniuersum sibimet ipsis constare videntur, dum in fine tandem subiecerunt, ad occurrendam repentinis casibus necessariam esse prouisionem, quam tamen ad conuentum Regni sapientissime reijciunt, & quam nullibi futuram ostendunt, ita vt plus in consiliorum mora futurum sit periculi, quam vt vtile quidpiam in repentinis casibus constitui debeat, Verum enimuero si animi sui sensum diserte verbis exprimere voluissent, ita potius constitutionem hanc scripsissent.

Sancimus pro authoritate nostra Commissoriali quidquid tandem Gedanensibus in lege vel vsu sit, vt si quando nobis libuerit Ciuitatem eam diuexare, distinere, opprimere, si quando VVcierum mancipium nostrum tumultuantem excitauerimus, vel alium eius farinæ militaris velitem ad vexandam ciuitatem inuitauerimus, ne quisquam Gedanensium nobis inuitis, & consilijs, eam ob causam non habitis, militem colligere, neue quenquam sibi, liberis, coniugibus, fortunis, patriæ libertatibus superbe vim inferentem repellere audeat,

Quam-

Quamquam enim iure nati id receptum sit, nos tamen alias constitutiones ferimus quæ naturaliter nobis suadent, vt subditos Regis pientissimi, qui molli nimis vtitur imperio, contra fas & æquum opprimamus, & nobis saltem subiugemus. Hanc nimirum volunt esse liberæ ciuitatis conditionem, vt ad eam opprimendam ipsi in ipsa ciuitate militem conscribere, quoties libuerit, possint, quod Castellanus Cosika Commissionis initio satis audacter perpetrauit. Ciuibus autem ad tuendam sui corporis, ad aras & focos tuendos ne manum quidem adhibere liceat.

X.

De Causis mere Regijs, & iure fisci.

HAC constitutione Commissarij inhærentes responso Regiæ Maiestatis declarant Instigatori Regio licere subditum Regium in causis Regiam dignitatem, & ius Regum concernentibus legitime ad summum tribunal euocare, neq; Regiarum causarum quenq; præter ipsam Regiam Maiestatem iudicium sibi sumere posse. Idem etiam de rebus & negotijs fisci inteiligi volunt, quas nemo iudicare debeat, nisi delegati iudices, ad eam rem à Regia Maiestate constituti.

Quod de responsonso Regiæ Maiestatis dicitur, id tale est. Nemo potest esse iudex in causis Maiestatis Regiæ, nisi ipsa Regia Maiestas, quod vti Gedanenses non negant, neq; iuri regio quidquam hac in parte detrahunt: ita vehementer se grauatos queruntur, Instigatori tantam licentiam tribui, Maiestatis Regiæ subditos in quibusuis causis quasi dignitatem & ius Regium concernen-

nentibus ad ſummum tribunal euocandi, priuſquàm legitima cognitio interceſſerit, an eiuſmodi ſit cauſa, quæ ad regiam Maieſtatem pertineat, vel eius dignitatem & ius attingat.

Etenim per iniquum eſt, & bonis moribus contrarium, accum ſummo præiudicio tam publicę, quam priuatim coniunctum, quod ſæpe factitatum meminimus, vt ciues propter quaſcumq; etiam verbales iniurias, inpriuatos homines, prætextu læſæ Maieſtatis, ad tribunal Regium euocentur.

Hoc enim pacto nulla propemodum erit cauſa, quæ non poſſit ad dignitatem Regiam referri, ſic delatores priuatis ſuis cupiditatibus Regiæ Maieſtatis ſanctiſsimum nomen, vt ægre faciant alijs, impune prætendent, qua ratione vniuſcuiuſq; ſubditi vita, ſalus & fortunæ, ab vnius inſtigatoris fauore pendebunt, & ordinaria iudicia pro cuiusuis libitu confundi ac eludi neceſſum erit. Quod quidem eo eſt indignius, quod eiuſmodi citationum edictis euocati, à re familiari ſua, à coniugibus & liberis, ad dicendam capitis & fortunarum cauſam, cum ſummo non ſolum rerum ſuarum diſpendio, ſed etiam non absq; famæ & nominis denigratione abſtrahuntur, & continuis cauſarum prorogationibus ferme in infinitum vexantur ac diſtinentur.

Altera pars conſtitutionis expreſſè pugnat cum perpetua cauſarum fiſcalium conſuetudine in terris Pruſsiæ recepta, vt nimirum in bonis caducis, & ad fiſcum Regium pertinentibus prima inſtantia in loco iudicij ordinarij obſeruetur: prout ſemper hactenus Fiſci procurator bona caduca in iudicio ciuili vindicauit. Super quibus quid conſtituendum & quomodo procedendum ſit, priuilegium Diui Sigiſmundi de bonis naufragis & caducis ſuperius primo conſtitutionum harum capite recenſitum latius demonſtrat.

Ex quo apparet bonorum caducorum vindicationem atq; custodiam non ad Procuratorem Fisci, cuius officium nuper admodum in has terras nouo exemplo irrepsit, sed ad magistratum ciuitatis pertinere, qui non minori fide, cura, studio & diligentia, atq; per ipsum Fisci procuratorem fieri soleat prouidere potest. Atque hoc ipsum etiam apertissimi iuris est, vt res à Fisco in controuersiam vocatæ, non ilico dicantur esse fisci, nisi causa prius ab ordinario Magistratu, sit ne Fisci, determinata liquido fuerit. Alioquin perfacile esset prætextu rerum & litium Fiscalium, varias priuatorum hominum causas & actiones vel defendere vel eludere, pro vt Fisci procuratoribus commodum videretur.

XI.

Locus & ius suffragij inter ordines ciuitatis artificibus opificum restitutis.

CONstituunt hoc capite Commissarij, vt in consultationibus publicis artifices opificum locum & suffragium quintum, post alias quatuor Tribus, quibus tota Communitas circumscribitur, obtineant. Idq; vigore responsi Regij quod in vim legis promulgatam dicitur, in cuius fraudem existimant suffragium opificum seu contuberniorum inter alios quadrantes cōmistum esse. Quod an recte existiment, & an responsi Regij & constitutionis, qua responsum istud fulcitur, iste sit sensus, quem illi affingunt, ex vtriusque verbis, quæ subiungemus, manifestè potest dijudicari.

Petitio communitatis Gedanensis.

Petunt vt quatuor principales opifices, sicut antiquitas obseruatum esse dicunt, quintam suffragiorum partem habeant.

Respon-

E56.
157.

Responsum:

Non abnuit sacra Regia Maiestas, si in constitutionibus continetur.

Constitutionis autem eius hæc sunt verba: Statuimus & ordinamus, quod deinceps in arduis causis & negotijs non vltra quam [illegible] centum ciues in hac principali ciuitate nostra ad consulendum, & adferenda suffragia, cum Consulatu Scabinis & duobus senioribus ex quolibet quatuor capitalium opificum ordine vocari, & adhiberi debent, & quod huiusmodi centumuiros semper consulatus eligendi, nominandi & vocandi in prætorium totiens quotiens opus fuerit potestatem & auctoritatem habent.

Ipsi autem ciues electi & vocati, cum in prætorium venerint modestè & pacificè se gerant, & nulla arma seu gladios secum ferant. Quilibet etiam magister Quartarum faciat quemque ex eisdem ciuibus, suæ quartæ ordine sedere, &c. Et paulo post: Quicquid in tali congressu & consilio per Magistratum Præconsulum, Consulum, Scabinorumq; ac prædictos Centumuiros cum senioribus quatuor capitalium artificum pro bono vrbis huius cognitum, constitutum & concluſum fuerit, id firmiter & inuiolabiliter ab omnibus incolis huius vrbis teneri, & obseruari debet, Si vero huiusmodi ciues quatuor quartarum in vnam sententiam non coierint, sed duæ quartæ eorum contrariam alijs duabus quartis sententiam tenuerint, in eo casu consulatus nomine & auctoritate nostra, vt regentes ciuitatis cum Scabinis potestatem habeant, id quod vtilius & magis necessarium videbitur definiendi & statuendi. Et cui parti consulatus ipse, cum Scabinis suo suffragio & voce succesſerit id ratum & firmum absque cuiusquam contradictione esse debet.

In hac tota constitutione nusquam fit mentio quintæ partis seu suffragij, quod opificum seniores seorsim obtinere debeant, sed illi diserte cum centumuiris coniunguntur. Apparet manifestius etiam ex vltimis constitutionis verbis, totius Communitatis consilium non plus quam quatuor suffragia in vniuersum habere, atq; ideo quartas dici, quod Centumuiri cum singulis quatuor principalibus contubernijs in quatuor ordines sint distributi. Nam cum illi quatuor inter se contrarium vtrinq; sentiunt, nulla fit mentio quinti suffragij, quo accedente altera pars quartarum superior fieret, sed simpliciter eo casu consulatus & Scabinorum expectatur autoritas.

Ex quo apparet Regiam Maiestatem in responso suo ita quintum locum Opificibus concessisse, si constitutionibus continetur, quibus nequaquam aliquid voluit derogari. Ac posito quod constitutionis verba dubia essent, vt ex ijs quintum inter ciues suffragium aliqua subtili ratione elici possit, tamen consuetudo, quæ optima est legum interpres, diserte & perspicue id dissoluit.

Sic enim & non aliter inde ab eo tempore quo constitutio primum lata fuit Anno XXVI, obseruatum & receptum est, vt ex opificum numero bini seniores quatuor principalium contuberniorum, vna cum Centumuiris ad publicas deliberationes adhiberentur, ita vt secundum quatuor quadrantes, quibus tota Communitas definitur, bini seniores singulis quadrantibus interessent, ac suffragia suo loco cum cœteris ferrent.

Quare cum alioquin in ista multitudine ad conficiendas deliberationes maxima sæpenumero difficultas oriatur, nihil aliud hac Commissariorum noua constitutione agi videtur, quam vt addito quinto suffragij loco consultationes magis magisq; reddantur impeditiores, quod ipsum Diuus Sigismundus maxime voluit cauere.

De

XII.

De regiorum decretorum executione.

HAC constitutione Commissarij rationem executionis Decretorum regiorum ad sequentem normam describunt, vt rem iudicatam consecutus, à Senatu executionem postulet, quam idem Senatus ad summum infra mensem sub multa, valorem, quanti res est, æquante, & ex proprio non ex publico realiter & cum effectu facere tenebitur: Quod si Senatus hanc facere detrectauerit vel neglexerit. Burggrabius tanquam Regiæ Maiestatis in hac vrbe in multis negocijs vicem gerens rem iudicatam sub priuatione officij sui exequatur, addita declaratione, quod inhibitiones, citationes, mandata, & rescripta contra executionem rei iudicatæ impetrata & impetranda locum habere non debeant.

Videri potest alioquin hanc constitutionem non iniquam esse, vt quæ rei iudicatæ indulgatam præstet executionem, sed temporis circumscriptio, & conditio annexa de tanta multa quanti res est, nemini magistratuum non periculosa est & formidanda, quandoquidem incidunt eiusmodi sæpe causæ, & tanta est partium & actionum multitudo et varietas, vt impossibile interdum sit, vel propter partis vnius absentiam, vel alia legima impedimenta intra præscriptum tempus executionem expedire. Quod si in ea temporis angustia mulcta tam grauis luenda sit, nemo certe tam rerum, & fortunarum ac sui ipsius futurus est prodigus & negligens, qui ea conditione magistratum, gerere velit, & præter innumeras difficultates & cotidianos labores, quibus cum maximo rei familiaris dispendio, magistratus officio diffungitur, insuper etiam ex proprio mulctari velit. Præterquam quod nullum fermè decretum adfertur, quod non etiam in exccutoriali mandato pœnam adiunctam contineat. Sœpius vero grauissimæ

incidunt causæ quibus adeò festinanter executionis decreta mandari non possint, quas longius explicare quoniam odiosum esset, in præsentiarum supersedemus. Vt illud etiam taceamus, nullum fermè Decretum ex Archiuis regijs prodire, quod non statim inhibitionem, contrarium mandatum, cum interminatione, nonnunquàm etiam diuersum decretum comitem insequentem habeat, quo magistratum distendat & nouis molestijs implicet, sic vt executiones rerum iudicatarum, nemo fere magis impediat, quàm qui iudicauerint. Quod autem earum causarum executionem quæ ciuiles sunt ad Burggrabium Commissarij referunt, id plane cum summo ordinariorum iudiciorum, & iurisdictionis ciuilis præiudicio coniunctum est. Nunquam enim ciuilium causarum cognitio, ne dum executio ad Burggrabium pertinuit, Nec à Diuis regibus vnquàm ad eum modum executiones in causis ciuilibus fuerunt demandatæ. Quinimo hoc ipso consilio sapientissimos Reges existimandum est constituisse, vt Burggrabius ex corpore senatus legeretur, nimirum vt ita Regias exerceret vices, ne quid per nimiam potestatem aduersus libertates & iura ciuitatis vel morem patrium, quandoque committeret.

XIII.

De Repressalijs.

IN hoc capite Commissarij vehementer Senatum prægrauant, quod itidem initio actionum suarum in vulgus spargebãt, quasi ex pernitioso errore, inscio principe durius repressalijs ciuium suorum facultates hominibus externis terra mariq; exposuerit, cum magno etiam periculo cum inde bella inter vicinos & fœderatos populos oriri soleãt ac proinde, præcipiunt ne post hac Senatus sine principis expresso consensu repressalias vsurpet.

Qua de re cum iam antea plus satis dictum sit, non est operæ preciũ pluribus hic immorari cum illud saltem monuerimus, neminem qui in rebus ciuilibus versetur, ignorare, quam grauibus condi-

conditionibus hoc seculo pecuniæ sæpe sint conquirendæ, adeo vt potentissimi quique in orbe reges & principes sæpè cogantur repressaliarum pacto, grandes pecuniarũ summas sub vsuris mutuare. Cum autem Ciuitatibus fœnori pecunia datur, etiamsi de repressalijs nihil expressum fuerit, tacito tamen pacto intelliguntur bona & merces ciuiũ pro mutuata pecunia semper obligatæ. Maximè quidem optarent Gedanenses vt vsus Reipub. eiusmodi mutationibus non indigeret, verum quicquid hac in parte factum fuit, vt plurimum in obsequium & vsus Regiæ Maiest., & sic non inscio principe, sed instante & postulante pro consuetudine horũ temporũ, & more aliorum vel principum vel ciuitatũ faciendum fuit. Nec vllum periculum vt propterea facultates ciuium exteris hominibus expositæ sint, nedum vt inde bellũ aliquod oriatur, quamdiu fides publica in solutionibus præstetur. Quinimo si daret operam Cõmissarij, vt quæ pecuniarum summæ à Rege, & Regno ciuitati debitæ sunt, soluantur parum abfuerit quin nox ex omni ære alieno ciuitas sit exitura.

Hactenus priorem partem illarum constitutionum Commissorialium, quantum opus erat, confutauimus, quæ verbo adtuendum ius & dignitatem Regiam, re ipsa ad euertendam ciuitatis libertatem & priuilegia propriè pertinebant. Altera pars leges continebat ex ijs articulis concinnatas quas ordines Cõmissarijs vti suo loco dictum est, reformationis causa exhibuerunt ita quidẽ vt nõnulla verbotenus ex ijsdem articulis in constitutiones suas transtulerint, pleraq; vtiliter ab ordinib. excogitata omiserint, ac silentio suppresserint, multa etiam in præiudicium publici aris, libertatis ciuilis & receptæ consuetudinis ex suo capite adscripserint, de quibus minime recipiendis ordines iam pridem fuerint solenniter protestati: Proinde cum ea, quæ de iudiciorum ordine & more in ijs cõstitutionibus recensentur, iamdudũ antea constitutionibus, rescriptis responsis & decretis satis expresse, & sufficienter cauta & constituta sint, nec vetus illis legislatoribus indigeant

geant: quæ vero ad administrationem bonorum & prouentuum, ac cœteras politicas ordinationes ciuitatis spectant, in ijs constituendis ordines ex priuilegio Cazimiriano peculiari liberam disponendi potestatem habeant, quam vltra centum triginta annos pacifice hactenus vsurparũt, nec illis vnquam acquiescere, quam nouis & adulterinis confutandis maiorem lectori molestiam iniungere, vel etiam multas Cõmissariorum ineptias, quas latere melius est, detegere, præsertim quod sic etiam multa plura, quam ad rem videri possint, de hisce absurdis commentationibus dicta fuisse opinetur.

x divi Reges contradixerunt idcirco melius videtur veteribus et legitimis sanctionibus

Postremo quemadmodum omnes illæ supra dictæ Cõmissariorum actiores perperam admodum & dolose, ac cum summa ciuitatis iniuria, summoq; libertatum præiudicio à primis cõmissionis istius infelicissimæ simul ac monstrosissimæ partu institutæ fuerunt: Ita ipsimet Cõmissarij cum de actionibus suis in comitijs VVarsouiensibus referrent luculentum propositi sui testimonium ediderunt. In ea siquidem relatione non modo magistratus vniuersus, & nominatim detenti præconsules insigni contumelia ad concitandam in eos Regiæ Maiestatis indignationem sunt affecti, sed etiam ea quæ cum ordinibus acta gestaq; fuerant in alium plane sensim, quam ordinum consensus erat, detorta fuere. Quæ quidem relatio eo etiam nomine non immerito vehementer est suspecta, quod non semel internuncijs ciuitati promissum fuerat, eos relationi interfuturos, quod alioquin certè æquitati summe conueniebat, vt altera pars itidem audiretur, ac nihilominus cum multos dies idipsum præstolati fuissent, eodem die, quo Commissarij de actionibus suis referebant, studiosè & de composito sunt abegati, quo minus interessent, Vnde facilis est coniectura, qua fide illi rem ciuitatis egerint, qui clam quam palam actiones suas recenseri mallent. Apparet hoc ex eo nonnihil, quod cum internuncij ciuitatis mandatum haberent vt placationis scriptum exhiberent, & simul reuersales literas de conditionum cautionibus

nibus, vti conuenerāt, reciperent, scriptum quidem artibus Cōmissariorum, quasi inspiciendi saltem gratia ipsis extortū fuerit. Reuersales autem literæ in hunc vsq; diem denegatæ. Ac cum Internuncij de relatione post se facta, non immerito conquererētur, & rationes suas audiri peterent, ac flagitarent, res tamen adeo leuiter æstimata fuit, vt ea quæ in despectum & contumeliam ciuitatis dicta fuerant, non magni momenti loco haberentur, quinimo quod Cōmissarij pro libitu dixissent, siue illud vnquàm in rerū natura non fuisset, siue à rei gestæ veritate longissimè abesset quasi iam pro decreto laudaretur. Non absimile est istud, quod de domo regia passim sparserūt, quasi ordines possessionē eius domus Cōmissarijs sponte & obtulerint, et ipso facto tradiderint, quorū neutrum factum esse probe meminerūt. Nam cum inter cætera Cōmissarij regiam domū designari vehemētius vrgerēt, locus saltem demonstratus est, in domo publica, visendi, num ex dignitate regia locus esset, possessionē autem, quæcunq; tandem in posterum domus designaretur ordines, absente Regia Maiest. sibi diserte reseruarunt, totius vero negotij eius tractatus tandem ad ipsam Regiam Maiest. pro meliori informatione reiectus est.

Ex his omnibus, quæ hactenus commemorata sunt manifestè à quouis potuit intelligi, in quem finem initio isthæc cōmissio destinata fuerit, quibus rationibus Gedanenses eam recte repudiarint, quid deinde aduersus Internuncios extra ius gentium actum & gestum: quo item pacto Cōmissarij in vrbem reuertentes actiones suas constituerint, eaq; ratione, quamuis cōmissio isthæc exorbitans ad liberandam ab incumbentibus difficultatibus ciuitatem inducta videri volebat, tamen longe pluribus interim oneribus & difficultatibus cum maximo iurium, & priuilegiorum præiuditio, fraude & detrimento fuerit implicata: sic vt ordines optimo iure nunc etiā & toti Cōmissioni & Cōmissorialibus actionibus & quicquid tandem inde profectum exortumq; est, vtpote quod hæc omnia, si vno verbo dicendum sit, non alio quam ad ciuitatis excidium pertinent, constanter contradicunt.

Opponitur quidem de aduersa parte (nam quod iure & honeste obloquantur alioquin nihil habent) Cõmissariorum actiones comitiali decreto approbatas fuisse, & confirmatas. Verum & illud ex nostra parte satis abundeq; constat, Cõmissarios & ab initio mala fide cum ordinibus egisse, & relationem Clandestinam, sinistrè, & more suspectissimo confeciſſe, qua cœteri consiliarij, altera parte non audita, facillime vt ijs assentiretur, præserrim quod illis essent dulcia, adduci potuerunt. Quid igitur hoc rei est, Commissarios sedere simul actores & iudices, conuentos, de quorum causa agitur, non audiri, sed ne adesse quidem, & nihilominus ex actorum relatione SCtm fieri, adeo scilicet sanctum, vt etiam in contrarium liquido perspectis rationibus, ipsis etiam Cõmissarijs fraudem non inficiantibus, retractari nefas sit? Verum enimuero nec dies quidem Gedanensibus tum dicta fuerat, litis agendæ causa, nec decretum aliquod comitiale expectabatur, sed internuncij saltem missi erant, vt rationes ordinum exponerent, quibus illi nos Cõmissariorum actionibus grauatos, & varijs præiudicijs affectos intelligerent. Cœterum alioquin etiam, vtcunque fuisset iuris aliquis ordo, eius generis decreta vel SCta in ijs causis ad eam Rempub. pertinentibus Gedanensium ordines afficere minime potuerunt. Est enim peculiare ius terrarum Prussiæ, qui cum ad Poloniæ regnum sua sponte accesserunt, vt huius generis causæ notabiles, cum consilio consiliariorum Prussiæ, debeant tractari, definiri, terminari, non autem in Senatu Regni calumnijs traduci & præiudicijs onerari.

Quæ omnia cum ita sint, nemini iam dubium esse potest, quin his Cõmissorialibus actionibus ciuitas Gedanensis in summum discrimen adducta ac pluribus in rebus insigni præiudicio ac detrimento iurium, priuilegiorum, honoris, famæ, fidei, & prouentuum publicorum, contra ius & fas, nec ex æquo nec ex bono, sed ex mera fraude calumnijs obtrectationibus & Commissariorum libidinibus affecta & afflicta fuerit. Quod totum certe, si bene res æstimetur, nec cum

Regiæ

Regiæ Maiestatis dignitate, nec cum regni Poloniæ commodo aliquo coniunctum esse potest. Itaque Regiæ Maiestati cum ciuitatis iura, libertates, priuilegia, sanctissime confirmauerit, & contrariorum grauaminũ abolitionem clementissime ad se receperit, longe fuerit honestissimum, vt perpensis tot tantisque difficultatibus & incommodis, quibus ob ea negotia Commissorialia ciuitas Gedanensis tot iam annos miserrime conflictatur & traducitur, hoc omnium maximo grauamine ciuitatem & auctoritate Regia tandem aliquando liberare, & commissionem fœdissimam, cum omnibus quæ inde subsecuta sunt, prorsus abolere clementissime dignetur. Quo quidem benignitatis genere Maiestas eius Regia rem faciet non solum afflictissimæ suæ ciuitati Gedanensi summæ necessariam & ad subleuandas eius difficultates maxime consentaneam, sed etiam qua clementiæ suæ & in subditos omnes paternæ propensioni cumulum beneficiorum adijciet eum, quo ciuitatis Gedanensis, omnes ordines & incolas hac gratia semel obstrictos ad omnia de cœtero fidelissimæ subiectionis obsequia gratissima, cum impendio facultatum, vitæ & sanguinis longe sib redditura sit, magis ac magis deuinctiores. Atque hæc de Commissionis istius negotio dicta nobis nunc subfficiant.

Trium librorum de negotio Commissionis Gedanensis finis.

Hæc Commissio per Tractatum Pontorii penitus est abolita.

P·A·N
BIBLIOTEKA GDAŃSKA